

University of Kentucky

UKnowledge

Theses and Dissertations--Modern and
Classical Languages, Literature and Cultures

Modern and Classical Languages, Literature
and Cultures

2016

Duae Orationes Paedagogicae Marci Antonii Mureti De Praestantia Litterarum Humaniorum in Universitate Saeculo Sexto Decimo

Laura A. Manning

University of Kentucky, lamanning@uky.edu

Digital Object Identifier: <http://dx.doi.org/10.13023/ETD.2016.303>

[Right click to open a feedback form in a new tab to let us know how this document benefits you.](#)

Recommended Citation

Manning, Laura A., "Duae Orationes Paedagogicae Marci Antonii Mureti De Praestantia Litterarum Humaniorum in Universitate Saeculo Sexto Decimo" (2016). *Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures*. 6.

https://uknowledge.uky.edu/mcllc_etds/6

This Master's Thesis is brought to you for free and open access by the Modern and Classical Languages, Literature and Cultures at UKnowledge. It has been accepted for inclusion in Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures by an authorized administrator of UKnowledge. For more information, please contact UKnowledge@lsv.uky.edu.

STUDENT AGREEMENT:

I represent that my thesis or dissertation and abstract are my original work. Proper attribution has been given to all outside sources. I understand that I am solely responsible for obtaining any needed copyright permissions. I have obtained needed written permission statement(s) from the owner(s) of each third-party copyrighted matter to be included in my work, allowing electronic distribution (if such use is not permitted by the fair use doctrine) which will be submitted to UKnowledge as Additional File.

I hereby grant to The University of Kentucky and its agents the irrevocable, non-exclusive, and royalty-free license to archive and make accessible my work in whole or in part in all forms of media, now or hereafter known. I agree that the document mentioned above may be made available immediately for worldwide access unless an embargo applies.

I retain all other ownership rights to the copyright of my work. I also retain the right to use in future works (such as articles or books) all or part of my work. I understand that I am free to register the copyright to my work.

REVIEW, APPROVAL AND ACCEPTANCE

The document mentioned above has been reviewed and accepted by the student's advisor, on behalf of the advisory committee, and by the Director of Graduate Studies (DGS), on behalf of the program; we verify that this is the final, approved version of the student's thesis including all changes required by the advisory committee. The undersigned agree to abide by the statements above.

Laura A. Manning, Student

Dr. Terence Tunberg, Major Professor

Dr. Milena Minkova, Director of Graduate Studies

DUAE ORATIONES PAEDAGOGICAE
MARCI ANTONII MURETI
DE PRAESTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM
IN UNIVERSITATE SAECULO SEXTO DECIMO

THESIS

A thesis submitted in partial fulfillment of the
requirements for the degree of Master of Arts
in the College of Arts and Sciences
at the University of Kentucky

By

Laura Ann Manning

Lexington, Kentucky

Director: Dr. Terence Tunberg, Professor of Classical Languages and Literature

Lexington, Kentucky

2016

Copyright © Laura Ann Manning 2016

ABSTRACT OF THESIS

DUAE ORATIONES PAEDAGOGICAE MARCI ANTONII MURETI DE PRAESTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM IN UNIVERSITATE SAECULO SEXTO DECIMO

Abstract:

Marcus Antonius Muretus, humanista aetatis renascentium artium et orator, qui floruit 1526-1585, dicitur fuisse inter optimos oratores suae aetatis. Orationes Mureti per multa saecula legebantur et magni aestimabantur. Haec editio duarum orationum Mureti de praestantia litterarum est apta ad usum discipulorum qui facultatem Latine legendi confirmare debeant, qui nondum satis multa de humanismo sciant, qui provehere litteras et Latinas et Graecas volunt. In praefatione huius commentarii vitam Mureti, humanismum, artes liberales, cultum civilem Europaeum qui tempore renascentium artium exstabat, ipsam orationem, litteras humaniores, et methodum commentarii parandi tractamus.

Marcus Antonius Muretus (1526-1585) was a Renaissance humanist acknowledged as the foremost Latin orator of his day. His speeches were a model of Latin oratory not only in his own time, but in the centuries that followed. This edition of two of Muret's pedagogical speeches on the excellence of literature provides commentary for students who seek more experience reading unadapted Latin prose, to know more about humanism and European culture during the Renaissance, and to better appreciate Latin and Greek studies. The preface to this commentary discusses Muret's life, Humanism, literature and *belles-lettres*, the liberal arts, Renaissance culture, the state of Latin education in the Renaissance, oratory, and the text of the orations for this edition.

KEYWORDS: Neo-Latin studies, Humanism, Marcus Antonius Muretus, Oratory, Liberal Arts, Latin Pedagogy

DUAE ORATIONES PAEDAGOGICAE
MARCI ANTONII MURETI
DE PRAESTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM
IN UNIVERSITATE SAECULO SEXTO DECIMO

By
Laura Ann Manning

TERENCE TUNBERG
Director of Thesis

MILENA MINKOVA
Director of Graduate Studies

June 17, 2016

In memoriam: James Joseph Manning
In aeternum, frater, ave atque vale.

ACKNOWLEDGEMENTS

Gratiae permultae sunt agenda: in primis, Terentio Tunberg, viro humanissimo, magistro doctissimo, socio benignissimo, qui omnibus occasionibus, omnibus in rebus, multis in modis, semper me docuit adiuvitque, et ad academicos honores adipiscendos adhortatus est. Freta cuius doctrina lego, scribo, colloquor. Cui summas gratias ago, non solum quod ille Muretum legendum mihi commendavit, cum sciret me apud oratorem multa ad Latinam linguam docendam pertinentia reperturam, sed etiam quod ingenii et temporis miram copiam mihi suppeditavit. Is porro multa menda deprehendit et multa corrigenda, tollenda, amplificanda annotavit: siquid mendum in commentario restat, id mihi lector adscribat. Deinde ingentes gratias ago et Milenae Minkova et Gueneverae Tunberg et Valerio Caldesi-Valeri, ut quae et auxilium et consilia prudentia semper obtulerint, vocem meam semper audiverint, multa beneficia mihi contulerint quae non solum ad hoc opusculum parandum sed ad plurima alia pertinerent. Dein gratias ago R.J. McCracken, collegae et amico, quippe cuius consilia semper fuerint et sint mihi emolumento. Tunc gratias etiam ago Stephano Hill collegae optimo, qui semper se praestiterit paratus ad Muretum mecum evolendum ac tractandum. Denique, Andreae, Timotheo Revaeque Timothei uxori, Sean, Annaliese, familiaribus meis, semper gratiam habeo, debeo, refero propter vestram fidem, vestram spem, vestrum amorem.

Table of Contents

ACKNOWLEDGEMENTS	iii
Table of Contents	iv
Index Figurarum	v
Praefatio	1
De cultu humano, qualis saeculo sexto decimo fuit	1
De artibus liberalibus	2
De humanismo	3
De vita et operibus Mureti	5
Conspectus saeculi sexti decimi una cum conspectu vitae Mureti	7
De litteris quae humaniores vocantur	10
De oratione	13
De hoc opusculo	14
De editionibus prioribus	15
De annotationibus	18
De orthographia et de ratione interpungendi	19
Ad magistrum	19
Ad discipulum	21
Invitatio	21
CAPITULUM I: ORATIO TERTIA	24
CAPITULUM II: ORATIO VICESIMA TERTIA	45
Bibliographia	74
Vita	79

Index Figurarum

Figure 1: Marcus Antonius Muretus	22
Figure 2: Prima pagina Orationis Tertiae.....	23

Praefatio

De cultu humano, qualis saeculo sexto decimo fuit

Saeculo sexto decimo, scientia et cultus civilis Europaeorum toto caelo a conditione temporis antecedentis mutabatur. Sic videbatur. Nam homines multas artes adeo renovabant, ut aetas ipsa hodie saepe nuncupetur *aetas renascentium artium*. Visum est his hominibus qui hac aetate vivebant et spectare tempora antiquiora Romanorum, et restituere artes quae fuerant, ut opinabantur, priscae. Lingua Latina ipsa quoque denuo vivere videbatur. Homines aetate renascentium artium florentes scriptores Romanos, praecipue Marcum Tullium Ciceronem, ob eloquentiam maximi aestimabant. Haec sententia omnino distat a sententiis eorum hominum qui temporibus prioribus floruerant. Humanismus aetate renascentium artium his hominibus fuit renovatio eloquentiae.¹

Tanta erat potentia orationum sententiarumque humanistarum ut multi linguarum classicarum studiosi praecepta eorum adhuc generatim et universe accipiant. Hic parvus commentarius celebrat scriptorem qui dicitur fuisse inter optimos oratores suae aetatis. Orator noster autem non erat Marcus ille Tullius Cicero. Hic orator et alii eiusdem farinae effecerunt ut multi homines usque ad tempora hodierna scriptores aureae Romanorum aetatis, ut ita dicamus, summi aestimarent.

Nomen huic viro erat Marcus Antonius Muretus. Antequam vita et opera eius explorentur, consideranda est aetas ipsa renascentium artium.

¹ Kristeller. *The Classics and Renaissance Thought*. p. 9.

De artibus liberalibus

Eloquentia erat meta paedagogiae Romanae antiquae, nam eloquentia necessario erat pars vitae publicae, et res magni momenti in re publica Romana. Post finem rei publicae, discipuli sic arte rhetorica erudiebantur usque ad saeculum quintum. Paulatim et pedetemptim ars docendi postea mutabatur. Artes, ut vocantur, liberales discipulis tradebantur. Hae septem artes liberales² fuerunt Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Musica, Geometria, Arithmetica, Astronomia. Dicebantur esse liberales quod homines liberi his artibus utuntur.

Magister sic artem grammaticam docebat:³ magister ipse verbum primum voce elata legebat, quod verbum discipuli recitabant. Magister commentarium suum de hoc verbo discipulis dabat. Tandem ad verbum proximum magister ita progrediebatur, deinde ad verba insequentia, usque ad finem lectionis. Discipuli in scholis scribebant, a magistro manu ducti, ab initio tantum singulas litteras, deinde singula verba. Sic discipuli elementa grammatica multis saeculis gradatim discebant. Erant scholae in monasteriis et in templis cathedralibus ubi liberales artes docebantur. Usque ad saeculum decimum ars grammatica praecipue colebatur.

Saeculo autem duodecimo⁴ in universitatibus, quae maioris momenti quam scholae monasteriorum et scholae cathedrales fiebant, trivium docebatur. Trivium constabat ex tribus artibus quae erant ars dialectica, ars grammatica, ars rhetorica. Ex

² Sidwell. *Reading Medieval Latin*. p. 7.

³ Marrou. Trans. Lamb. *A History of Education in Antiquity*. p. 264-291.

⁴ Sidwell. *Reading Medieval Latin*. p. 255.

universitatibus unicuique discipulo diploma aut theologiae aut iurisprudentiae aut medicinae accipere licebat. Sic autem, ut hodie, saepe fiebat: erant discipuli non pauci in his universitatibus versantes qui ad gradum magisterii artium (M.A.), sed non ultra, progrediebantur. Ars dialectica magni aestimabatur illo tempore propterea quod docti homines res theologicas ope artis dialecticae explicabant. Sic meta docendi mutabatur. Cum meta docendi fuisset eloquentia temporibus Romanorum antiquorum, post rem publicam Romanam artes liberales ad religionem conservandam propagandamque praesertim medio, ut aiunt, illo aevo docebantur.

De humanismo

Aetate renascentium artium, humanismus colebatur. Re vera humanismus in cunis, ut ita dicamus, renascentium artium crescebat. Saeculo quinto decimo studium legendi libros ante Christum natum scriptos adeo excitabatur ut antiquiores libri a doctis viris⁵ saepius legerentur. Homines medio, ut dicitur, illo aevo florentes, illos libros non tanti aestimaverunt. Non ausim negare libros, qui a Romanis antiquis scripti essent, hic atque illic esse lectos medio illo aevo: sed hi libri multo rarius quam libri a patribus ecclesiae scripti tunc legebantur.

Libris, quos Romani scripserunt, paulo saepius aetate renascentium artium lectis, humanistae, qui erant homines artis rhetoricae periti, animadverterunt linguam Latinam esse mutatam. Nam professores qui docebant tales artes quales erant artes medicinae et

⁵ Petrarca, exempli gratia, qui 1304^o -1374^{um} floruit, epistulas Ciceronis post tot annos inveniebat legebatque; etiam eis respondebat, ut colloquium cum Cicerone haberet. Possumus appellare Petrarcam primum humanistam.

iurisprudentiae et theologiae, lingua Latina non tam eloquenter quam Romani antiqui, sententia humanistarum, usi sunt. Eloquentia antiqua et Romana ab humanistis colebatur una cum aliis artibus.

Verba *humanista et humanitas* cum verbo quod est *humanismus* artissime coniunguntur. Humanismus non est genus philosophiae, neque sunt nomina substantiva *humanismus* et *philosophia* synonyma. Humanismus omnes artes renovatas per totum tempus Renascentium artium comprehendisse dici potest, sed praesertim artem eloquentiae. Studiis rerum et litterarum, quas Romani et Graeci antiqui reliquerunt, humanismus circumscribitur.⁶ Fundamentum humanismi est eloquentia. Obrussa humanismi est aetas Romanorum antiqua. Lingua Latina et lingua Graeca ab humanistis colebantur⁷ et renovabantur. Humanistae multos commentarios de libris antiquissimis scripserunt. Propter hoc studium, libros Latine et Graece scriptos, etiam nonnullos libros ex lingua Graeca in linguam Latinam versos habemus. Nullum est dubium quin permulti ex libris Latine Graeceque scriptis hodie exstent laborum humanistarum gratia.

Cum humanismus aetate renascentium artium crevisset, *humanismus* autem saeculo duodevicesimo⁸ est excogitata. Homines qui humanismum aetate renascentium

⁶ Kristeller, Paul Oskar. *Renaissance Thought: The Classic, Scholastic, and Humanistic Strains*. Novi Eboraci: Harper & Brothers. 1955. pg. 8.

⁷ Tunberg (Leuven University Press, 2012) in commentario “De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt” rationes Latine loquendi saeculis xvi et xvii tractat. Cfr. quoque Tunberg (Brill, 2014) in commentario “Neo-Latin Prose Style (From Petrarch to C. 1650)” ubi scripsit de verbis quibus humanistae saeculis xiv-xvii utebantur.

⁸ Kristeller. 1955. p. 9. Kristeller librum a W. Rüegg scriptum memorat, cui titulus est *Cicero und der Humanismus*. Turici. 1946.

artium tractabant a se ipsis humanistae nuncupabantur. Humanistae erant studiosi artium rhetoricae, poeticae, grammaticae, historiae rerum gestarum, et litterarum. Studium eorum quoque excitavit philosophia moralis.⁹ Humanistae sermonem Latinum ad normas, quas auctores summi momenti antiqui adhibuerant, restituere volebant. Primum locum inter hos scriptores antiquos Cicero¹⁰ occupavit. Humanistae causam suam, id est eloquentiam Ciceronis, tam bene defenderunt ut Cicero princeps oratorum adhuc laudetur. Permulti humanistae Ciceronem magni aestimabant. Nemo autem tam imbutus eloquentia Ciceronis fuisse videtur quam Marcus Antonius Muretus.¹¹

De vita et operibus Mureti

Non est dubium quin opera Mureti, inter quae multae orationes reperiuntur, nobis legenda sint. Ille enim orator magni aestimabatur et ab hominibus qui orationes eius audiebant et a posterioribus qui eius orationes per saecula legebant. Anno 1526^o p.C.n. in oppido nomine Mureto, quod erat prope Lemovicem, (hodie nominatum Limoges) natus est.¹² Amicitia coniunctus erat Muretus cum Iulio Caesare Scaligero,¹³ viro doctissimo. Inter amicos eius Petrus Ronsard et Johannes Dorat, poetae Galli, quoque numerabantur.

⁹ Kristeller. 1955. p. 10.

¹⁰ Tunberg, Terence. "Neo-Latin Prose Style (From Petrarch to C. 1650)" in *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World*. Lugduni Batavorum, Brill, 2014. pg 156.

¹¹ Imago 1: Marcus Antonius Muretus (delinatio) p. 22 huius opusculi.

¹² Mureti epistula I.34.

¹³ Bencii *Oratio in Funere Mureti* 1585. p. 6.

Sed vita eius non omnino sine curis erat. Fuit maxima rixa inter Muretum et amicum Dionysium Lambinum. Ille dixit Muretum annotationes suas surripuisse.¹⁴ Par pari respondebat Lambinus: epistulas inter se et Muretum iam missas in quibus variae res privatae necnon sordidae scriptae sunt in lucem divulgavit.¹⁵ Muretus mala fama paulisper laborabat, et veniam Lambino numquam dedit. Porro, Muretus bis damnatus erat ob calumniam aliquam, fortasse ob amorem illicitum.¹⁶ Etiam fidei Protestantium sequendae incusatus est,¹⁷ ut effigies Mureti accensa sit. Sic incusari non fuit res nullius momenti. Bella horrida et sanguinolenta a Catholicis et Protestantibus in Europa his temporibus gerebantur. Pro certo scire nequimus num Muretus merito immeritove damnatus sit. Bencius, qui fuit discipulus Mureti, censebat aemulatores invidiosos¹⁸ Muretum incusavisse. Prope finem vitae, Muretus sacerdos Catholicus factus est.¹⁹ Accusatio igitur quae ad fidem Protestantium pertinet saltem in dubium vocatur.

Post has incusationes, Romam petivit. Docuit discipulos tum domi suae, tum in universitatibus et in aliis scholis.²⁰ Clarissimus orator fuit. Professor eloquentiae, deinde

¹⁴ Muretus Lambinum primum convenit Venetiis. Iam anno 1555^o (Mureti, *Horatius M. Antonii Mureti in Eundem Annotationes*, 1555. p. 344.)

¹⁵ Dejob *Marc-Antoine Muret, un professeur français en Italie dans la seconde moitié du XVIe siècle*. 1881 p. 162.

¹⁶ Dejob p. 47.

¹⁷ Dejob p. 58.

¹⁸ Bencius p. 8.

¹⁹ Dejob p. 288.

²⁰ Petri Lazeri *Diatriba De Vita et Scriptis M. Antonii Mureti*. Frotscherii Vol. I. p. 14.

etiam professor philosophiae moralis creatus est.²¹

Muretus multa et varia opera, non tantum orationes, scripsit. Commentarium²² in Ronsardi carmina Francogallice scriptum in lucem edidit. Sed plerumque Latine loquens et scribens negotia sua publica egit. Carmina in librum, cui nomen *Juvenalia*, collegit et edidit. Composuit etiam fabellam scaenicam cuius titulus est “Iulius Caesar”.

Commentaria de variis opusculis antiquis quae litteris mandaverant Cicero, Horatius, Catullus et alii, quoque exaravit. Ille orationes, epistulas, carmina edidit ante annum 1585^{um}, quo anno obiit.²³

Conspectus saeculi sexti decimi una cum conspectu vitae Mureti

Vita Mureti	Anno	Res gestae in Europa
	1509	Henricus VIII in Britannia regnavit.
	1517	Reformatio coepta est. (Martinus Lutherus 95 theses dedit.)
	1521	Fernandus Magellanus ad oceanum Pacificum navigavit.
Natus est Muretus die 12o Aprilis. ²⁴	1526	

²¹ Bencius p. 9.

²² Dejob p. 28.

²³ Dejob p. 366.

²⁴ Mureti epistula I.34.

Vita Mureti	Anno	Res gestae in Europa
	1543	Nicholaus Copernicus librum De Revolutionibus Orbium Coelestium in lucem edidit.
In Collegio Archiepiscopali docebat. ²⁵	1544	
Burdigalae habitabat.	1547	Edwardus IV in Britannia regnavit.
Lutetiae Parisiorum habitabat.	1552	
Juvenalia in lucem dedit.		
Tolosae habitabat.	1553	Maria I in Britannia regnavit.
Damnatus est ut effigies eius accenderetur.	1554	
Venetiis habitabat.		
Commentarium de operibus Terentii composuit.	1555	
	1558	Elizabetha I in Britannia regnavit.
Romae habitabat.	1559	
Lutetiae Parisiorum habitabat.	1561	
Romae habitabat.	1563	
	1564	Villelmus Shakespeare natus est.

²⁵ Petri Lazeri *Diatriba De Vita et Scriptis M. Antonii Mureti*. Frotscherii Vol. I. p. 14.

Vita Mureti	Anno	Res gestae in Europa
Galileo Galilei natus est.		
Orationem III Venetiis habuit.	1565	
	1572	Trucidatio Sancti Bartholomei.
Orationem XXIII Romae habuit.	1573	
Sacerdos creatus est Romae.	1576	
	1582	Papa Gregorius XIII Kalendarium Gregorianum curavit.
Muretus die 4o Iunii e vita discessit.	1585	
	1589	Henricus IV in Francogallia regnavit.

De litteris quae humaniores vocantur

Humanitas erat curae humanistis. Exploremus igitur notionem humanitatis. Humanistae rogantes quid sibi vellet humanitas ex Romanis antiquis fundamentum notionis sumebant. Secundum sententiam Ciceronis et aliorum oratorum antiquorum, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, ad linguam bene adhibendam, ad cogitationes bene ordinandas et exprimendas, ad memoriam rerum gestarum tradendam spectant.

Cicero Archiam,²⁶ poetam Romanum his verbis defendebat: “Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur” (Cic. Arch. 2.2). Litterae nexum inter omnes artes liberales faciunt et has artes vincunt. Cicero in eadem defensione Archiae dixit eloquentiam augeri legendo: “Atque hoc ideo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas; quae, quantacumque in me est, numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur, illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio.” (Cic. Arch. 2.13). Cicero dixit se esse testem beneficiorum litterarum. Cicero putabat ingenium suum, litteris lectis, crescere. Libri, quos legit Cicero, efficiebant ut eloquentissime amicos adiuvere posset.

²⁶ **Archiam:** Aulus Licinius Archias 120-61 a.C.n. fuit poeta Graecus qui Romam migravit. Vir quidam Romanus, nomine Grattus, (Cic. Arch. 8.2), qui Archiam non amavisse videtur, dixit Archiam non esse civem Romanum. Cicero Archiam defendebat, dicens, inter alias res, Archiam esse civem Romanum per legem Plautiam Papiriam. Bellis Sociis peractis, Lex Plautia Papiria effecit ut homines qui habitabant in urbibus Italiis cives Romani fieri possent. Cicerone defendente, Archias civis declaratus est.

Etsi homo summi ingenii eloquenter loqui potest sine litteris, litterae magna beneficia hominibus dant. “...saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque inlustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere” (Cic. Arch. 2.15). Ratio, igitur, cum oratione artissime coniungitur. “Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem” (Cic. Off. 1.12). Ratio oratioque efficiunt ut homines inter se concorde vitam agant. Ratio et oratio sunt illae facultates quibus finis praecipue humani. Aristoteles dixit, “Defendere se manibus pedibusque dedecus non est. Sic se defendere eloquentia dedecus fieri non potest, nam eloquentia est res humana.”²⁷ Id est, eloquentia est res humana sicut partes corporis humani. Cicero multo magis perspicue fere eandem sententiam aliter scripsit, “Sed, quae naturae principia sint communitatis et societatis humanae, repetendum videtur altius; est enim primum, quod cernitur in universi generis humani societate. Eius autem vinculum est ratio et oratio, quae docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate;” (Cic. Off. 1.50). Id est, elementa societatis humanae sunt ratio et oratio; illa elementa posterioribus eloquentia tradimus. Eloquentia, qua illa elementa posterioribus tradimus, docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando exercetur.

²⁷ πρὸς δὲ τούτοις ἄτοπον εἰ τῷ σώματι μὲν αἰσχρὸν μὴ δύνασθαι βοηθεῖν ἑαυτῷ, λόγῳ δ’ οὐκ αἰσχρὸν: ὁ μᾶλλον ἴδιόν ἐστιν ἀνθρώπου τῆς τοῦ σώματος χρείας. (Aristot. Rh. 1.12).

Litterae humaniores sunt litterae quibus liberi homines frui possunt. Hae litterae sunt carmina lyrica, fabulae, carmina epica, etiam multa alia genera. Litterae humaniores legendae sunt ob utilitatem, iucunditatem, pulchritudinem. Sunt, ut ait Cicero, studia liberalissima et humanissima.²⁸ Liberalia sunt talia argumenta qualia liberi homines tractant. Non vacat homini qui non est liber has res considerare. Necesse est nobis liberis cogitare de rebus non tantum ut homines sanemus, neque ut causas defendamus, sed etiam ut virtutem intellegamus et bene vivamus. Litterae humaniores copiam cogitandi de talibus rebus nobis dant. Nam in litteris humanioribus veritas et virtus per multa exempla vel imitanda vel vitanda illustrantur.²⁹

Muretus invitatus est ut orationem scholasticam haberet de humanioribus litteris, quae aetate renascentium artium non magni aestimabantur ab quibusdam hominibus, qui in universitatibus docebant. Muretus humaniores artes et graviores artes, quae videntur fuisse medicina, iurisprudentia, theologia, memoravit. Professores in factiones divisi sunt. Materia orationis tertiae a Mureto ex his divisionibus sumebatur: humanistae putabant professores artium graviorum peritos sine eloquentia docere; professores artium graviorum periti putabant humanistas tantum nugas³⁰ docere. Talia argumenta a Mureto refutantur.

²⁸ Cicero. *Oratio Pro Archia Poeta* 16.2.

²⁹ Cicero. *Oratio Pro Archia Poeta* 14.3.

³⁰ Mur. Or. III.1-12.

De oratione

Facile intellegitur quae sit oratio: homo argumentum electum tractans alios homines adloquitur. Humanistae orationes saepenumero habebant, non tantum ad occasiones scholasticas celebrandas. Habebant orationes ut funera aut nuptias commemorarent, et occasiones politicas necnon religiosas, inter multas alias. Sed cur tam multis occasionibus dabantur orationes ab his hominibus? Cur tam diu servantur? Nam homines orationes etiam hodie habent. Nunc tot verba hominum facillime servare possumus. Nihilominus, saeculo sexto decimo, tot orationes diligentia servatae sunt in libris. Quod hodie non facimus etsi facilius sic facere esset.

Docti quoque homines qui in res aetate artium renascentium gestas incumbunt, rogant de copia orationum humanistarum. Amabantne oratores illius aetatis voces suas audire? Sic nonnulli docti putaverant, sed in contrariam partem Kristeller nobis persuasit. Nam tales orationes humanistae habebant quales oratores multa saecula ab temporibus Romanis antiquis per aetatem mediam, ut aiunt, habuerant.³¹ Neque orationes inanes erant neque oratores. Nam verbum *oratio* non tantum significat acroasin habere. Oratio est eloquentia. Oratio est ipsa ars loquendi. Est ars qua alii homines alios intellegunt. Humanistae restituere eloquentiam ad conditionem aetatis aureae volebant. Eloquentiae restituendae causa, orationes necessario habebantur, scribebantur, expoliebantur.

³¹ Kristeller. *Studies in Renaissance Thoughts and Letters*. p. 560.

De hoc opusculo

Hoc in commentario duas orationes praebemus, quas discipuli saltem elementa Latina experti legant. Non autem nova editio critica est, sed editio ad usum scholasticum destinata. Orationes Mureti, etiam hac nostra aetate, nonnullius momenti in scholis Latinis esse possunt. Idoneae sunt quae a discipulis in lyceis secundariis tertium iam annum in linguam Latinam incumbentibus legantur. Aptae etiam sunt bacculaureandis, qui facultatem Latine legendi adhuc confirmare debeant. Praefatio igitur et annotationes in hoc opusculo scriptae praesertim sunt destinatae iis discipulis qui nondum satis multa de humanismo deque cultu Europaeo, qualis saeculo sexto decimo fuerit, sciunt. Verum tamen orationes sunt usui hominibus doctrina et aetate provectoribus, qui se ad litteras Latinas docendas parare velint. Illis autem suademus ut, nostris annotationibus inspectis, de discipulis suis futuris cogitent.

Orationes, quas scripsit Muretus, lectu dignae sunt omnibus qui provehere litteras et Latinas et Graecas volunt. Sunt emendate et pulcherrime scriptae. Muretus erat, ut Frotscher in prooemio suo dixit, germanus Ciceronis.³² Neque Ciceronem morose imitabatur. Sententias suas et proprias scribebat. Sententiae³³ erant Mureti, stylus autem magis, at non omnino, Ciceronis.

Editiones tamen prioribus saeculis paratae sunt, quae nostro tempore discipulis lectu difficiliores videntur, propterea quod formae litterarum sunt vetustiore modo

³² Frotscherii Vol. I. p. x. Frotscherius Muretum ob Latinitatem elegantissimam maxime laudabat.

³³ Cfr. Kraye P. 310. Homines qui tantum verbis Ciceronis utebantur nominabantur Ciceroniani. Muretus non sedulus Ciceronianus erat.

depictae.³⁴ Saepenumero signa compendaria inveniuntur: pulchra lectu, sed paulo difficiliora tironibus. Additur quod litteras adeo parvas in nonnullis harum editionum descriptas videmus ut interdum vix legibiles sint. Novae editiones sine his impedimentis emolumento nobis sunt.

De editionibus prioribus

Exstant nonnullae editiones in quibus orationes Mureti inveniuntur.³⁵ Visum est saltem initium sumere ex libro quod Carolus Henricus Frotscher edidit³⁶, quippe qui ubique a hominibus eruditis Muretum legentibus citetur. Certe hic atque illic annotationes ad linguam pertinentes inveniuntur quae saltem nobis minus placent. Fortasse Frotscherius est proclivior ad orationem Mureti reprehendendam, ubi oratio Mureti aliquatenus a normis Ciceronianis errare videatur. Sed his annotationibus exceptis, editio utilissima est. Vitio igitur eam non vertebamus, nam editio Frotscherii est facta secundum rationes satis probabiles.

Frotscher editionem, quam Runkenius fecerat,³⁷ vituperavit, quod peccata multa et graviora inessent. Frotscher menda Ruhnkenii maxima cum cura correxit, ne alia menda ipse faceret. Unamquamque paginam quater inspexit. Frotscher annotationes Iacobi

³⁴ Imago 2: Prima pagina Orationis Tertiae vetustiore modo editae; p. 23 huius opusculi.

³⁵ Index editionum inveniri potest in libro, quem scripsit J.-E. Girot, cui index: Marc-Antoine Muret. *Des Isles fortunées au rivage romain*, in serie librorum c. n. *Travaux d'Humanisme et Renaissance*, 502. Genavae, 2012.

³⁶ Frotscher, Karl Heinrich, ed. M. Antonii Mureti Opera Omnia. 1834. Lipsiae.

³⁷ Ruhnken, David, ed. M. Antonii Mureti Opera Omnia. 1789. Lugduni Batavorum.

Thomasii magni aestimavit, querens Ruhnkenium eas non aequo animo perscrutatum esse. Frotscher tamen putavit Ruhnkenium legentem praefationem a Checcotio scriptam nimis temporis trivisse et propter hoc neglexisse annotationes in marginibus Patavinae editionis scriptas. Editiones, quae in luce sunt editae antequam editio Ruhnkenii est edita, rimatus est, ut discrepantias compararet et de dispositione uniuscuiusque discrepantiae iudicaret. Ille pro virili parte eadem diligentia omnibus operibus Mureti se applicavit. Omnes discrepantias in annotationibus suis Frotscher sedulo notavit. Haec editio Frotscheri est fundamentum huius opusculi.

Orationibus transcriptis, aliquot editiones vetustiores petivimus. Editio, quam Aldus Manutius Venetiis anno 1555^o paravit, ex tribus orationibus constat, quas Muretus ante annum 1555^{um} habuit. Inter has tres orationes est ea, quae verbis “Permultos esse intellego” incipit, quae sub titulo “Oratio Tertia”³⁸ hoc in libello invenitur. Muretus ipse huic editioni Venetiis praefuisse videtur. Editio ergo, quam Manutius anno 1555^o Venetiis edidit, est alicuius momenti³⁹ ad hoc nostrum opusculum parandum; quia non tam longe postquam has tres orationes Muretus habuit, Manutius editionem curavit.

In editione, quae Veronae anno 1727^o apud Albertum Tumermanum typographum est parata, sunt fere omnes orationes, quas Muretus habuit. Hae orationes in editione Veronensi dispositae sunt in duos tomos, qui etiam in editione Frotscheri inveniuntur.

³⁸ Huius opusculi p. 24.

³⁹ Frotscherii Vol. 1 p. 111-113. Cfr. Mureti epistulam, quae tamquam praefatio est Manutii editioni posita. Epistula inscribitur: M. Antonius Muretus S.D. Scipioni Gonzagae Marchioni et S.R.I. Principi.

Editio autem Veronensis est nobis utilis, praecipue quia Tumermanus dicit in dedicatione, quae ante librum est posita, se legisse codicem manuscriptum a Mureto ipso emendatum.

Obrussam ergo ex his tribus editionibus sumptam creavimus. Contextus orationum, qui his tribus antiquioribus editionibus traduntur, comparati sunt, et lectiones variae in annotationibus indicatae sunt.

Contra expectationem nostram, cum contextus comparavissemus, in oratione tertia nonnullas discrepantias inter editiones invenimus. Nam editio anno 1555^o a Manutio parata differt ab editione anno 1727^o a Tumermano divulgata et ab ea quam Frotscher curavit. Nonnullae interiectiones, ut *dii immortales* et *mehercule* aut remotae sunt aut mutatae sunt. Ut exemplum afferamus, *mehercule*, quod in editione 1555^o parata invenitur, fit *certe* in editionibus Tumermani et Frotscheri. His discrepantiis studium nostrum excitatum est. Suspocabamur nos inventuros esse tales mutationes in editionibus ante Tumermani editionem datis. Sed frustra. Non poteramus invenire tales interiectiones in aliis harum duarum orationum editionibus, neque invenimus tales interiectiones in alias orationibus, quae in eadem editione Aldina anno 1555^o curata traduntur. In hoc nostro opusculo, hae interiectiones manent. Nunc suspicamur Muretum ipsum interiectiones removisse, nam nulla earum vestigia in posterioribus orationum editionibus manent, quoad scimus. Non tamen nobis nota est causa⁴⁰ cur tot et tales interiectiones ex his orationibus remotae sint. Cum autem Muretus sententias antiquorum scriptorum

⁴⁰ Pudebatne Muretum mentionis deorum paganorum religionis gratia? Removebatne nomina eloquentiae causa? Causae sunt investigandae.

paraphrasi verteret, saepenumero talibus verbis utebatur;⁴¹ non, tamen, sunt interiectiones.

De annotationibus

Muretus multa hominum nomina in orationibus praebuit, de quibus breves annotationes in hoc opusculo scriptae sunt. Sunt quoque annotationes de rebus grammaticis, ubi nonnulla enchiridorum grammaticorum capitula notavimus,⁴² quo melius discipulus praecepta grammatica intelligat. In annotationibus nostris, signo F verba Frotscherii indicavimus. Omnes autem annotationes Frotscheri hoc nostro opusculo non inclusae sunt. In votis nostris est ut annotationes quae hic suppeditantur discipulis linguae Latinae sint utiliores. Visum est auxilii causa alias annotationes addere.

Annotationes pertinentes ad discrepantias supra descriptas, quae in variis editionibus inveniuntur, sic indicantur:

F - editio quam Tumermanus Veronae anno 1727^o curavit

M - editio quam Manutius Venitiis anno 1555^o curavit

F - editio quam Frotscher Lipsiae annis 1834^o et 1841^o curavit.

⁴¹ Exempli gratia, “Merito divinus Plato nihil te praestantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuisse dicebat” (Mur. Or. III.76-77 nostrae editionis).

⁴² Notavimus non paginas sed capitula, in quibus res ad grammaticam pertinentes sunt enodatae, quo facilius discipuli explanationem grammaticam invenire possint. Paginae enim, in quibus unumquemque capitulum sit dispositum, editionum variarum mutatae sunt.

De orthographia et de ratione interpungendi

Visum est emendationes facere, quae ad orthographiam spectant. Plerumque, quoad attinet ad verba *caussa* et *paullo*, editiones Frotscheri et Tumermani congruunt. In editione Manutii, autem, *causa* et *paulo* inveniuntur. Sic in hac editione *caussa* fit *causa* et *paullo* fit *paulo* ut normae nostrae observentur. Etiam multas virgulas removimus.⁴³ Mos erat scriptorum ut signis interpungendi multo frequentius uterentur quam hodie fieri solet. Locutio *res publica* in prioribus editionibus erat decurtata. In hac nova editione quam nunc legis, plenis verbis locutio *res publica* est descripta.

Ad magistrum

Tempus docendi tam constrictum est ut difficile sit eligere opera ad docendum apta. Si hodie sit discipulorum ultima occasio linguae Latinae legendae, cur sunt hae orationes legendae? Certe hodie hae orationes non inveniuntur in curriculo quod AP nuncupatur. Lingua Latina autem multa saecula vigeat, et adhuc viget. Humanistae aetate renascentium artium nobis persuadebant ut scriptores, quos ipsi considerabant summi momenti, legeremus. Etiam si in scholis illis AP non tractantur, nihilominus ob varias causas operae pretium est eas legere.

Additur quod permulta sunt lectu dignissima. Certe Cicero, Horatius, Ovidius, Livius, Tacitus, Plinius, Vergilius inter optimos scriptores sunt numerandi. Nostris autem temporibus rectores magna voce iubent magistros omnium disciplinarum ducere

⁴³ Ratio interpungendi in libro qui inscribitur Minkova, Milena. "Orthography of Neo-Latin." In *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World*. Ediderunt Philippus Ford, Ioannes Blomendal, Carolus Fantazzi. Tom. II. Lugduni Batavorum: Brill, 2014.

discipulos ad fontes, ut dicunt, primarios. Fontes illi primarii, qui sunt libri Latine scripti, bene noti sunt omnibus nobis, qui linguam Latinam calleamus. Possumus ea opera interpretari, et possumus docere discipulos quomodo ea opera intellegantur. Quidni legamus etiam id quod Sepulveda de novo orbe scripsit, ut exemplum afferamus, cum discipulis qui res gestas aetatis explorationis tractant? Quidni legamus Neutronium de re mathematica deque re physica? Quidni legamus Muretum cum tempus sit litteras humaniores et artem nostram defendere?

In scholis autem nostris non satis est temporis ut inter linguas semper morari possimus. Discipulus, qui debet linguam vernaculam⁴⁴ discere, discit audiendo, scribendo, legendo, loquendo. Hi duo commentarii igitur apti sunt discipulis qui saltem elementa linguae experti sunt. Annotationes Latine scriptae sunt. Itaque non est causa cur discipuli se ex lingua Latina semovere debeant. Annotationes, quae sunt legendae, occasiones lingua utendi discipulis praebent. Discipuli ergo in una lingua diutius manere possunt, quo facilius discant et legant.

Breves sunt hae orationes. Haec brevis est emolumento discipulis, qui utramque orationem usque ad finem per paucas horas scholasticas legere possunt. Dantur igitur discipulis et magistris optima occasiones ad argumenta latiora tractanda, non tantum ad elementa grammatica enodanda. Non est necesse eligere inter argumentorum tractationem et elementorum enodationem, si omnia Latine facimus. Nam cum scriptores lautiores

⁴⁴ Sermo cuiusdam patriae dicitur esse vernaculus, quo homines a teneribus unguiculis loquuntur.

tractamus, et scientiam grammaticam et notiones quas de litteris et de culto humano habemus firmare possumus.

Nolumus omittere rationem quae nostra quidem sententia summi momenti est. Licet hae orationes sint pulcherrimae scriptae: licet sint aptae magistris et discipulis ad legendum: est autem nobis alia res consideranda. Prodest nobis audire alias voces humanas. Voces enim Romanorum et Graecorum antiquorum in scholis nullo modo neglegendae sunt, neque negleguntur. Praeter pulchritudinem, libri ab humanistis scripti aditum ad mentem et animum hominum, quorum sententiae cultum civilem nostrum aedificaverunt, nobis dant. Libri recentiores legendi sunt ne annis lapsis voces humanistarum perdamus.

Ad discipulum

Elegimus has orationes ut voces maiorum nostrorum audires. Olim discipuli Mureti has orationes ex ore eius audiverunt. Cogita de hac re. Cum verba Mureti intellexeris, fies civis rei publicae litterarum. Has orationes certe leges; suademus tamen ut cogitando, recitando, scribendo, audiendo eas diligenter tractes.

Invitatio

Humaniores litterae tempore Mureti tractabantur ut humanistae libros vetustiores a doctissimis hominibus scriptos legerent. Rem paulo latius consideremus. Legamus opera Latina et Graeca omnibus temporibus, quibus litterae illae nitebant velut aureae, optime scripta.

Marcus Antonius Muretus⁴⁵.



Figure 1: Marcus Antonius Muretus

⁴⁵ In editione Thomasi, 1777, p. 7^a.

Formae litterarum quales in libris vetustioribus inveniuntur⁴⁶



ERMVLTVS esse intelligo, qui de his literis, quæ humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, vt earum tractationem leuæ quiddam esse, ac nugatq̃rium existiment: neque aut magnos admodum labores ab ijs suscipi, qui eas iuuentuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse reip. industriam: in eis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam, haustamq; de triuijs ac circulis requiri doctrinam putent. à quibus ego quoniam ita dissentio, vt ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel grauissimum munus esse contendam: neque vllos esse, qui aut laborum plus perferant, aut maiores in rep. pariant fructus: doctrinæ denique à nullo hominum genere maiorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, patres amplissimi, vósq; ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, à contemptu, atque ab intolerabili

Figure 2: Prima pagina Orationis Tertiae

⁴⁶ Prima pagina orationis tertiae, ut formas litterarum antiquiorum ostendamus. Ex editione Manutii, 1585. p. 29.

CAPITULUM I: ORATIO TERTIA

M. ANTONII MURETI ORATIONES VOLUMEN PRIMUM

DE UTILITATE AC PRAESTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM ADVERSUS
QUOSDAM EARUM VITUPERATORES.

ORATIO III.

HABITA VENETIIS⁴⁷ POSTRID. NON. OCTOB.⁴⁸ ANNO

MDLV.

M:	ORATIO TERTIA	F 5:	ORATIO III		
m:	POSTRIDIE	F:	postridie	5:	postrid.
F:	cIo Io Lv.	m 5:	MDLV.		

⁴⁷ **VENETIIS:** Venetiae Venetiarum f. est urbs, quae sita est in Italia septentrionali.

⁴⁸ **Postrid. Non. Octob. MDLV:** octavo die Octobri, 1555^o p.C.n. Dies ab Romanis antiquis modo eorum proprio et, primo aspectu, satis difficili intellectu, numerabantur. Menses a Romanis antiquis sic appellabantur: Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Quinctilis, Sextilis, September, October, November, December. Mensis Quinctilis quoque nominabatur mensis Iulius. Mensis Sextilis autem mensis Augustus appellabatur. Secundum temporis computandi rationem Romanam et antiquam, tres dies cuiusque mensis erant praecipui: *Kalendae*, *Idus*, et *Nonae*. Primus dies uniuscuiusque mensis *Kalendae* nuncupabatur. *Idus Iduum f.* sunt aut die quindecimo, sicut mensibus Martio, Maio, Quinctili, Octobri, aut die tertio decimo, sicut in omnibus aliis mensibus. Si *Idus* sunt die quindecimo, *Nonae* sunt die septimo. Si *Idus* sunt die tertio decimo, *Nonae* sunt die quinto. Dies saepenumero decernebantur numerando retrorsum ex proximo maiore die, id est, aut ex *Kalendis* proximi mensis, aut ex *Nonis* insequentibus, aut ex *Idibus* insequentibus. Alia difficultas exstat: ex conspectu nostro, est semper dies superadditus, nam *Idus*, *Kalendae*, *Nonae* a Romanis antiquis numerando includebantur, id quod nostris temporibus non facimus. Rarissime *postridie Nonas* usurpabatur, potius *viii a.d. id. Oct.* erat forma. Forma autem *pridie* invenitur. Cfr. Bradley's Arnold *Latin Prose Composition* 537-540.

Linearum 1-13 epitome: Quidam docti tractationem litterarum humaniorum non magni aestimant. Ab illis dissentio. Qui has artes docent, munus habent omnium gravissimum: nec alii beneficium maius rei publicae dant. Itaque ego litterarum humaniorum causam.

Permultos esse intelligo, qui de his litteris, quae humaniores vocantur,⁴⁹ eam animo imbibere sententiam ut earum tractationem leve quiddam esse ac nugatorium existiment. Neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas iuventuti tradant,⁵⁰ aut eorum magnopere fructuosam esse rei publicae industriam:⁵¹ in eis denique non exquisitam
5 ullam ac reconditam, sed circumforaneam⁵² quandam haustamque de triviis⁵³ ac circulis⁵⁴

⁴⁹ **Litterae humaniores:** cfr. capitulum introductionis **De litteris quae humaniores vocantur** quod in pagina 10 huius opusculi situm est.

⁵⁰ **Neque...tradant:** Pergit in oratione obliqua. “Homines qui litteras humaniores non maximi aestimant” sunt subiecti.

⁵¹ **neque...industriam:** alii professores putant litteras humaniores dare rei publicae non magnum beneficium. (i.e. “neque...magnopere...fructuosam...”)

⁵² **circumforaneam:** nomen adiectivum quod in duas partes dividitur: circum et forum. Forum est media pars urbis, media pars vitae publicae. Circumforaneus igitur est fere idem ac per forum deambulare, vagari, spatari. Venditores circumforanei in foro merces vendunt. Verbum non bono sensu sonat, nam verba *leve*, *nugatorium* propius sunt scripta.

⁵³ **triviis:** trivium est locus quo tres viae conveniunt. Multi homines conveniunt in trivium. Est locus, ergo, ubi homines possunt colloqui. (*Trivium* alio sensu adhibitum in praefatione tractavimus. Cfr. capitulum **de artibus liberalibus** p. 1 praefationis huius opusculi. Significatio in hac periodo non ad artem docendi tendet.)

⁵⁴ **circulis:** homines sermocinandi causa in circulis congregantur.

requiri doctrinam putent.⁵⁵ A quibus⁵⁶ ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus qui se aliquid docere profitentur, horum vel⁵⁷ gravissimum munus esse contendam,⁵⁸ neque ullos esse qui aut laborum plus perferant aut maiores in re publica pariant fructus,⁵⁹ doctrinae denique a nullo hominum genere maiorem aut copiam requiri aut varietatem
10 arbitrer,⁶⁰ constitui hodierno die, patres amplissimi⁶¹ vosque ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, et nobilissimam⁶² studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu atque ab intolerabili eruditorum hominum

10: ꝛ: Ƀ: ceteri

Ɔ Ƀ: caeteri

⁵⁵ **in eis...putent:** alii professores putant litteras humaniores praebere nugae quas nullius momenti aestiment.

⁵⁶ **A quibus...contendam:** Istis (professoribus) non assentior. Immo, eloquentiae professores, ex omnibus professoribus qui dicunt se docere, munus gravissimum omnium habent. Periodus "A quibus...insolentia vindicare" satis longa est. Nequimus lacum bibere, ut ita dicamus, uno haustu, sed exiguis haustibus. Consideremus, igitur, tales longas periodas sicut series membrorum. Facilius est dividere unamquamque longiorem periodum ut membratim enarretur. Non est propositum huius opusculi ut omnes longiores periodos sic enodemus, sed primas, et postea, difficiliore periodos.

⁵⁷ **vel:** adverbium; hic sibi vult *etiam*.

⁵⁸ **contendam:** Contendam hic sibi vult *argumentum meum magna voce defendam*.

⁵⁹ **Neque...fructus:** maxima et optima beneficia rei publicae dant.

⁶⁰ **Doctrinae...arbitrer:** verbum *nullo* cum verbo *genere* congruit; maiorem copiam doctrinae aut maiorem varietatem doctrinae. Ita dissentio ut ... contendam neque arbitrer.

⁶¹ **patres amplissimi:** saepenumero patres amplissimi sunt cardinales Catholici. In hac oratione sic significantur, nam Muretus viros ceteros ornatissimos quoque alloquitur.

⁶² **nobilissimam:** nomen adiectivum nobilis duos sensus habet: 1. clarus, notus, celebris; 2. laudatus, eximius, palmaris. Verbum huius periodi in utramque partem tendet. Adiectivum superlativum.

insolentia vindicare.

***Linearum 14-21 epitome: Qui litteras humaniores aspernantur,
auctoritatem rectorum non reverenter tractant.***

Et vero quid aut huic tempori aut omnino meo muneri facere convenientius⁶³ possum,⁶⁴
15 quam ut, quae mihi studia celebritatis aliquid cum aliis in locis, tum hac ipsa in civitate
pepererunt, a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcunque⁶⁵ profluxi⁶⁶ hominum
famam,⁶⁷ iis quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner,
praesertim cum, qui hoc litterarum genus aspernantur, facere nullo modo possint quin de
vestra, patres amplissimi, singulari spectataque in omnibus rebus ac paene divina
20 sapientia nonnihil eadem superbia detrahant?

19: m: pene

F 5: paene

⁶³ **convenientius:** aptius; id quod cum aliqua re aptius convenit.

⁶⁴ **Et vero quid...convenientius possum:** Quod argumentum esset aptius aut loquendo hodie aut mihi cottidie docendo? (Sane nullum argumentum aptius, sententia Mureti.)

⁶⁵ **quantulamcunque:** forma quoque invenitur: *quantuluscumque*, *quantulacumque*, *quantulumcumque*. Exspectavimus invenire littera “m” in quadam editione, sed non reperimus. Prima pars huius verbi declinatur.

⁶⁶ **profluxi:** progressus sum.

⁶⁷ **ego fontibus...famam:** F: *Equidem, ut ad me revertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam.* (Cic. Cael. 3.6).

Linearum 21-28 epitome: Si litterae humaniores essent minimi momenti, rectores certamen et praemia cultoribus litterarum eximiis non proposuissent. Oportebat hos adversarios saltem probare id quod rectores probaverunt.

Etenim si haec tota res⁶⁸ tam levis est quam isti⁶⁹ eam videri volunt,⁷⁰ quae⁷¹ vos tandem causa commovit, ut proximo superiore anno,⁷² propositis publice libellis, studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinaeque contentionem excitaretis; utque iis, qui vobis in eo certamine probati essent, honestissimum postea praemium ex aerario
25 decerneretis? Quae mehercule⁷³ una res ad coercendam istorum temeritatem satis ponderis habere debebat ut si hebetiores⁷⁴ eos natura stolidioresque finxisset, quam ut pervidere harum rerum praestantiam possent, quod tamen vestro talium virorum iudicio probatum foret, magnum esse aliquid ac praeclarum suspicarentur.

25: **μ:** Quae mehercule **Ϝ 5:** Quae certe

⁶⁸ **haec tota res:** litterae humaniores.

⁶⁹ **isti:** verbum *iste* potest usurpari, cum locutor aliquem spernit. Sic in hoc loco.

⁷⁰ **videri volunt:** Muretus hic iudicat tales sententias tantum in mentibus istorum hominum exstare. Ne isti homines quidem sibi credant.

⁷¹ **quae:** quae causa.

⁷² **proximo superiore anno:** anno praeterito; anno nuperrime peracto.

⁷³ **mehercule:** de interiectionibus deletis, cfr. praefationis capitulum huius opusculi *De editionibus prioribus* p. 15.

⁷⁴ **hebetiores:** hebes hebetis adj. stultus. adiectivum comparativum.

*Linearum 29-35 epitome: Audite igitur orationem meam.
Argumenta adversariorum in epitomen redigam.*

Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum est: adeste
30 animis,⁷⁵ mihi que breviter ostendenti quam varia quamque multiplex eruditio requiratur
in iis, qui litteras humaniores docent, eademque opera quantos ex eorum navitate atque
industria res publica percipiat fructus, non aures modo, sed mentes quoque attentas,
quaeso, paulisper adhibete. Atque adeo, ut haec tota controversia melius diiudicetur,
operae pretium est,⁷⁶ initio, quaenam sit istorum contemptorum humanitatis oratio
35 cognoscere.

31: m: literas **F 5:** litteras
34: m: operaepretium est **F 5:** operae pretium est

⁷⁵ **adeste animis:** Muretus fortasse memorat verba Ciceronis: *quam ob rem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite.* (Cic. Mil. 2.4). Frotscherius annotavit similem excerptum Ciceronis. F: *Cic. pro Sulla cap. 11. §. 33. adestote omnes animis, qui adestis corporibus — erigite mentes auresque vestras, et me de invidiosis rebus — dicentem attendite. Fr.*

⁷⁶ **operae pretium est:** res digna; aliquid utile.

Linearum 36-48 epitome: “Professores litterarum ad nullum grave negotium adhibentur. Nam nihil praeter poeticas fabulas et praecepta orationis ornandae docent. Ad tales res tractandas nulla magna eruditio poscitur. Quod magnum emolumentum e tali scientia oritur?”

Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere maioris momenti negotium adhiberi vident, non ad iudicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam, facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poeticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas et aliquot levia
40 comendae ac poliendae orationis praecepta, nihil omnino teneri putent. “Quid autem magni negotii est,” inquit, “in puerorum consessu de eiusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano,⁷⁷ modo de Troiano⁷⁸ bello, modo de Ulixis⁷⁹ aut Aeneae erroribus, molli et ad inanem oblectationem composito sermonis genere disserere,

42: μ: Ulysis

Ϝ ϝ: Ulixis

⁷⁷ **Thebano...bello:** Fabula (lectu digna) Graeca quae inscribitur “Septem Contra Thebas” ab Aeschilo narratur. Filii Oedipi bellum gerebant ut victor esset rex Thebanus. Non est propositum nostrum ut totam fabulam, quam laudamus, narremus. Eam legas.

⁷⁸ **Troiano bello:** Fabulae de bello Troiano ab Homero, deinde ab Vergilio necnon ab aliis narratae sunt. Herodotus quoque, historicus Graecus, de hoc bello narravit. Historici nostris temporibus putant bellum verum circa annum 1180 a.C.n. esse gestum inter Troianos et Graecos, ubi hodie Res Publica Turcica sita est.

⁷⁹ **Ulixes:** Ὀδυσσεύς heros Graecus. Calidissimus vir in libro Homero nomine *Odyssea* qui multa pericula subivit et iter longissimum fecit. Rex Ithacae.

identidemque velut e quibusdam arculis⁸⁰ accommodata colorandae orationi pigmenta
45 depromere? Ecquae autem magna eruditio est scire quot navibus Graeci ad oppugnandum
Ilium⁸¹ accesserint; quot filios habuerit Priamus,⁸² Helenam rapuerit Alexander,⁸³ ut
Homerus,⁸⁴ an Helenae simulacrum, ut Euripides⁸⁵ prodidit? Quod emolumentum ex
istorum omnium scientia, quod detrimentum ex ignoratione percipi potest?

47: T simulachrum **М 5:** simulachrum

⁸⁰ **arculis:** Muretus descriptionem artis rhetoricae quam Cicero in epistula ad Atticum memorat: “*quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso quod **ornamenta** neglexerant et, ut mulieres, ideo bene olere quia nihil olebant videbantur. meus autem liber totum Isocrati myrothecium atque omnis eius discipulorum **arculas** ac non nihil etiam Aristotelia **pigmenta** consumpsit* (Cic. Att. 2.1). Ornamenta rhetorica quibus Atticus epistula scripsit, descripsit. Arcula est parva arca, pyxis, cista in qua pigmentum quo, translato sensu, oratio depingitur; arcula est cista, ut ita dicamus, plena artificii eloquentiae. Oratio et ars scribendi, praecipue ars ad epistulas scribendas pertinens sunt similes.

⁸¹ **Ilium:** Troia.

⁸² **Priamus:** Priamus fuit Rex Troianorum, cui permulti filii erant. Quidam dicunt eum habuisse duodeseptuaginta filios duodevigintique filias.

⁸³ **Helenam rapuerit Alexander:** Sunt saltem duae fabulae de Helena. Homerus narravit Helenam ab Alexandro, i.e. Paride, esse raptam. Euripides narravit Paridem simulacrum Helenae rapuisse.

⁸⁴ **Homerus:** J: Iliad. III. 443.

⁸⁵ **Euripides:** scriptor fabellarum scaenicarum Graecus qui anno 480^o usque ad annum 406^{um} a.C.n. vixit. J: Elect. vs. 1283.

*Linearum 49-53 epitome: Aliarum disciplinarum utilitas facile
conspicitur. Dialecti veri falsique rationem docent.*

Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad
50 intelligendum. Sive enim dialecticos spectes, ab iis certa quaedam veri falsique in rebus
omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans,
quid ex quoque efficiatur; quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio, et
tenere et alios docere prae se ferunt.

*Linearum 54-60 epitome: Physici rerum principia exponunt;
orbis terrarum et totius naturae rationem reddunt.*

Quid physici? Qui rerum principia causasque tractant; qui quomodo quidque gignatur,
55 quoque modo intereat edisserunt; qui nimborum, fulminum tempestatumque causas; qui
corporum caelestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institutiones;⁸⁶ qui
animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras; qui
stirpium, qui omnium ferme rerum quae gignuntur e terra naturas ita persequuntur nulla
ut pars ab eis caelo, mari, terra, ut poetae loquuntur, praetermissa sit: haec cum tractant,
60 mediocriterne rei publicae prosunt?⁸⁷

56: **μ:** coelestium **τ Ϛ:** caelestium
59: **μ:** coelo **τ Ϛ:** caelo

⁸⁶ **progressiones, institutiones:** “qui errantium stellarum cursus praegressiones institutiones notavit” (Cic. Tusc. 1.62). *Institio* sibi vult *sistere*.

⁸⁷ **Qui...prosunt:** Facile est intellegere quae sit aliarum disciplinarum utilitas. Nam physici omnes partes orbis terrarum investigant eadem diligentia qua humanistae suas res investigant. Nonne beneficium rei publicae dant? (Haec sunt adhuc dicta eorum qui artes liberales minuunt.) Muretus non hic oratione obliqua utitur. Pergit in oratione recta.

Linearum 61-80 epitome: Magnam omnibus hominibus conferunt utilitatem hi, qui philosophiam moralem et civilem tractant. Philosophia denique, virtutum omnium parens, est omni laude cumulanda.

Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt philosophiae partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur, ii vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri.⁸⁸ Quibus enim, dii immortales,⁸⁹ quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid
65 extremum, quid ultimum bonorum omnium, quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat, quot sint virtutum, quotque vitiorum genera; quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus; quo modo exsultanti iactantique se et detrectanti rationis imperium frenos iniicere oporteat cupiditati; tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo, quo nihil
70 pulcrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandae sint civitates; quibus illae modis fundari

63: **μ:** quibus enim, dii immortales, quamque **μ:** **Ϝ:** quibus enim quamque
65-66: **Ϝ** **Ϝ:** quid ultimum bonorum omnium, quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes **μ:** quid ultimum bonorum omnium; quem velut ad scopum omnes actiones, omnes cogitationes
69: **Ϝ:** quomodo **μ** **Ϝ:** quo modo
70: **Ϝ:** pulcrius **μ** **Ϝ:** pulchrius

⁸⁸ **Nam si...reperiri.** Industriae eorum, qui philosophiam docent, praemia satis ampla dari non possunt. In membro “quorum industriae...reperiri” *nulla praemia* sunt subiecta. Nomen *industriae* casu dativo dicitur. *Quorum* spectat ad *ii*. Verbum *ii* explanatur sic: *qui philosophiae partem susceperunt*.

⁸⁹ **dii immortales:** de interiectionibus deletis, cfr. praefationis capitulum huius opusculi *De editionibus prioribus* p. 15.

atque institui; quibus augeri atque amplificari, quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint.⁹⁰ O res praeclaras, dii immortales,⁹¹ et ardentissimo studio summaque corporis atque animi contentione dignissimas! O vitae philosophia gubernatrix, o virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix!⁹² Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere:⁹³ tuum est omnem inanitatem et errorem amputare ac circumcidere: tuum est vitiorum fibras evellere,⁹⁴ stirpes elidere, semina extinguere. Merito divinus Plato⁹⁵ nihil te praestantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuisse dicebat.⁹⁶

73: M: O res praeclaras, dii immortales, et ardentissimo **5 T:** O res praeclaras et ardentissimo

77: M: circumcidere **5 T:** circumcidere

⁹⁰ **Quibus enim...effici possint:** Muretus pergit explicare cur aliarum disciplinarum utilitatem intellegere sit facile. Nunc de philosophia morali et civili loquitur.

⁹¹ **dii immortales:** de interiectionibus deletis, cfr. praefationis capitulum huius opusculi **De editionibus prioribus** p. 15.

⁹² **vitiorum omnium expultrix:** *philosophia vitia expellit. philosophia, expultrix vitiorum,* F: *Cic. Tusc. V.2.5.*

⁹³ **tuum est...deripere:** Verbum *officium* subauditur. tuum officium est...temeritatem deripere

⁹⁴ **fibras evellere:** Muretus memorat verba Ciceronis: *nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnis radicum fibras evellere* (Cic. Tusc. 3.13).

⁹⁵ **Plato:** Plato fuit celeberrimus philosophus Graecus, qui vixit ab anno 427^o a.C.n. usque ad annum 347^{um} a.C.n. Fuit discipulus Socratis et magister Aristotelis.

⁹⁶ **Merito divinus Plato...dari potuisse dicebat:** Muretus in Latinam linguam vertit, “ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μείζον ἀγαθὸν οὔτ’ ἦλθεν οὔτε ἕξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν” (Plat. Tim. 47b).

Linearum 80-85 epitome: Cedite palmam, o magistri nugarum et fabularum (h.e. litterarum humaniorum) philosophis, qui res multo maioris momenti tractant.” Talis est oratio eorum qui litteras elevare volunt.

80 Eant⁹⁷ nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti: perfricent frontem, si quam habent, et se ulla ex parte cum philosophiae doctoribus conferendos esse praedicent. Qui si aliquod forte paulo abstrusius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, aut quampiam paulo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant; nonnunquam etiam de eiusmodi tricis ita inter
85 se digladiantur, ut pro aris et focus⁹⁸ certamen suscepisse videantur.”

Linearum 86-90 epitome: Nunc eorum vituperationes refutabo. Primum ab adversariis philosophiam laudantibus nullo modo dissentio. At hi decipiuntur, si nullum commercium professoribus litterarum cum philosophia esse putant.

Haec fere est, patres amplissimi, eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio: qui quod philosophiam laudant, libentibus id nobis atque approbantibus faciunt; nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet plurisve faciat: quod

⁹⁷ **Eant:** indignatio hic exprimitur: faciant igitur hoc...

⁹⁸ **pro aris et focus:** pro familia et domu. Arae in templis Romanis in impluviis domuum collocatae erant. Ara domestica erat locus ubi Penates, numina familiae, colebantur. In atrio domus, Lares, numina domestica in foco colebantur.

autem nullum censent studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium; in eo
90 quantopere fallantur,⁹⁹ facile ex iis, quae dicturus sum, intelligitur.

Linearum 91-122 epitome: Etsi nos litterarum professores nihil nisi poetarum fabulas et praecepta dicendi traderemus, quanti momenti doctrina nostra atque scientia essent facile ostenderetur. Semina omnis sapientiae fabulis poetarum continentur. Non solum Plato, sed etiam Aristoteles poetas et eorum fabulas magni censent et poetarum testimoniis utuntur. Praecepta quidem sapientiae facilius in animos influunt quadam admirabilium rerum varietate (i.e. in poetarum fabulis) conditae.

Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus, nihil aliud a nobis quam poeticas
fabulas et exornandae orationis praecepta tradi, non ex eo tamen efficeretur, quod isti
volunt, inanem quandam et ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque alio quam ad
puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos referri. Etenim poetarum
95 fabulae, quas isti tantopere exagitant et insectantur,¹⁰⁰ non levia quaedam et frugis
expertia otiosorum hominum commenta sunt: immo vero sub eis, velut involueris atque
integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis
denique sapientia continetur. Eratosthenem¹⁰¹ quendam fuisse aiunt, qui poeticen ita

96: M: ociosorum 5 F: otiosorum
99: M: at Hercule Plato, 5 F: at certe Plato,

⁹⁹ **haec fere...fallantur:** Sunt qui putent litteras humaniores esse disiunctas ab philosophia. Maximopere errant.

¹⁰⁰ **exagitant et insectantur:** insectantur est verbum deponens; paene synonymum verbi *exagitant*; vexare; carpere

¹⁰¹ **Eratosthenem:** Eratosthenes fuit philosophus Graecus, poeta, geographus, qui natus anno 276^o a.C.n, obiit anno 194^o.

contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret. At hercule¹⁰² Plato,
100 at Aristoteles, quorum non paulo maior est quam nescio cuius¹⁰³ Eratosthenis auctoritas,
ita saepe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea quae tradunt, ut eum non
tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque
mirari soleo, cum quidam, qui se philosophos videri cupiunt, et quidem eiusmodi
philosophos, ut, tanquam Atlante caelum, ita philosophiam supercilio suo niti putent, ita
105 despiciatui ducunt poetas, ut eorum scripta adspicere se dignari negent. Qui quidem
cuiusmodi philosophi sint, ipsi viderint,¹⁰⁴ cum eos contemnant, quos Philosophorum
coryphaeus¹⁰⁵ Plato modo sapientiae patres ac duces, modo deorum interpretes, modo
deorum filios vocat. Aristoteles¹⁰⁶ autem, cuius isti¹⁰⁷ se germanos esse interpretes

104: M T:	coelum	¶:	caelum
105: M T:	adspicere	¶:	aspicere

¹⁰² **hercule:** de interiectionibus deletis, cfr. praefationis capitulum huius opusculi *De editionibus prioribus* p. 15.

¹⁰³ **nescio cuius:** *nescio quid, nescio quis*. Muretus his verbis indicat Eratosthenis auctoritatem non esse magnam.

¹⁰⁴ **ipsi viderint:** coniunctivus, tempus perfectum. Ipsi videant. Saepenumero, exhortationes tempore praesenti sunt dictae. Sed *videre* cum hoc sensu dicitur, plerumque tempore perfecto modi coniunctivi dicitur. Cfr. Gildersleeve's *Latin Grammar* 263.3 n.

¹⁰⁵ **coryphaeus:** κορυφαῖος, dux, princeps

¹⁰⁶ **Aristoteles:** fuit philosophus Graecus, qui vixit 384^o -322^{um} a.C.n., erat discipulus Platonis, et magister Alexandri illius Magni, regis Macedonum.

¹⁰⁷ **isti:** adhuc de eruditis qui putant se esse philosophos, et praecipue de philosophis scholasticis qui cogitationes Aristotelis ante omnia sequebantur.

gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis identidem poetarum
110 testimoniis utitur, verum etiam libro primo de sapientia Philosophum omnem fabularum
amatorem esse confirmat.¹⁰⁸ Quod igitur Aristoteles esse se aiunt; fortasse verius, sine
dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro¹⁰⁹ esse affirmarent: hunc enim ex
omni memoria unum fuisse Philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam
doctrinae, tum poetarum praecipue scripta contemneret.¹¹⁰ Quod quidem se,
115 negligendis poetis, ex Aristotelis disciplina ac familia censi volunt; in eo, meo quidem
iudicio, faciunt et impudenter et imperite. At enim id mihi hoc tempore propositum non
est, ut de poetarum laude dicam: quod si esset, facile ostenderem omnia praecepta vitae,
omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius quam a philosophis ipsis doceri. Non igitur,
cum poetarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more,¹¹¹ animos ducimus;

¹⁰⁸ **amatorum esse confirmat:** verbum *se* intellegitur. Aristoteles dixit se amare fabulas poetarum.

¹⁰⁹ **se ab Epicuro:** *se ab Epicuro* fere idem ac *se esse Epicuri fautores*. Epicurus erat philosophus Graecus qui vixit 340-280 a.C.n. Praeclarus est ob philosophiam quae sic describitur: vivere bene est summum bonum. vivere bene est vivere sine dolore.

¹¹⁰ **poetarum...contemneret:** “μόνον τε τὸν σοφὸν ὀρθῶς ἂν περὶ τε μουσικῆς καὶ ποιητικῆς διαλέξεσθαι: ποιήματά τε ἐνεργεία οὐκ ἂν ποιῆσαι.” (Diog. Laert. 10.1.120). Tantum sapiens de musica et de carminibus recte loqui potest. Ille autem non carmina scribit.

¹¹¹ **nutricum more:** *nutrix nutricis* f. est femina quae infantem nutrit et lactat. Muretus dicit professores litterarum humaniorum non dare nugae discipulis velut nutricem quae fabellas aniles parvulis cantet.

120 sed sementem quandam virtutis atque doctrinae facimus:¹¹² non in levibus minimeque
frugiferis rebus operam sumimus; sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos
influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus.

Linearum 123-144 epitome: Ad praecepta ornate ac copiose loquendi quod attinet – haec est scientia quae locum summum in bene ordinata civitate habet! Eloquens orator audientes in quamlibet partem flectere potest. Haec scientia est sceleratis exitio et innocentibus praesidio. Orator, quippe qui etiam animos regat, est potentior quam tyrannus, qui sola corpora constringat.

Quid, cum ornate ac copiose loquendi praecepta tradimus, ludere videmur, an ea docere,
quae semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus,
125 eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari?¹¹³ Haec enim est
illa virtus, quae quamlibet in partem arbitrato suo flectit audientium animos, eosque
pulchritudinis suae splendore obstupefactos quibusdam velut habenis numerosae¹¹⁴

126:	F:	flecti	Ⓜ Ⓟ:	flectit
127:	F Ⓜ:	pulchritudinis	Ⓟ:	pulchritudinis

¹¹² **sementem...facimus:** stricto sensu, *sementis* significat spargere semina ex quibus plantae crescant. Hoc in loco, Muretus loquitur metaphorice de sentiis in mentibus discipulorum, de quibus, antequam illam sementem, ut dicitur, fecerimus, plurimi discipuli non cogitabunt.

¹¹³ **eloquentiam...reginam vocari:** indicamus hic duos fontes huius sententiae: “ego vero omnem eloquentiam omnisque eius partis sacras et venerabilis puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteposendam ceteris aliarum artium studiis credo.” (Tac. Dial. 10.4-5). “omnium artium domina” (Tac. Dial. 32.4).

¹¹⁴ **numerosae:** de metricis loquitur. Numeri sunt pars eloquentiae, non tantum in carminibus, sed etiam in oratione soluta. Cfr. Krause, 2009, qui numeros operum Mureti rimatus est.

orationis regit. Haec illa est, quae consolatur moerentes, afflictos excitat, iacentes erigit; quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento.¹¹⁵

130 Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefarie in patriam inita consilia dissipavit: hac togatus superavit armatos:¹¹⁶ ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis maiorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, maius omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Si quidem tyranni possunt illi quidem corpora constringere, animis nullam adhibere vim possunt; hi vero dominantur in animis, quaeque ipsis honesta atque

135 utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt: illi invitis imperant; hi volentibus: illi et oderunt omnes, et odiosi sunt omnibus; hos in omne hominum genus beneficos perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero non qui eloquentiam contemnere se simulant, illius praestantiam intelligunt;¹¹⁷ sed quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri.

140 Orationis igitur meae summa eo redit denique: etiam si nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poetarum fabulas, et iuventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus: tamen neque mediocriter rei publica prodesse nos, neque parvis in rebus contemnendisque versari.

¹¹⁵ **Haec illa est...probis ornamento:** Muretus verba Ciceronis memorat, “Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate?” (Cic. De. Orat. I.31).

¹¹⁶ **togatus superavit armatos:** Cicero nonnullis in locis dicitabat, *Cedant arma togae, concedat laurea laudi!* (Cic. Off. 77.1; Cic. Cons. frag 6).

¹¹⁷ **neque...intellegunt:** negativa verba duplicata sunt hic. Hi homines bene sciunt praestantiam litterarum humaniorum.

Linearum 144-165 epitome: Sed multa alia poscuntur a professore litterarum, qui nullius artis dignae hominis liberaliter instituti studio ignarus esse possit. Praeceptores aliarum disciplinarum periti esse debent illius unius artis, quam tradunt: professoribus autem litterarum, utpote qui opera ab hominibus doctrina multiplici eruditis composita explicare debeant, plurimas artes discere et profiteri necesse est.

Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis
 145 liberaliter educati studio, cuius non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui
 munus hoc cum laude sustinere meditetur.¹¹⁸ Itaque hoc inter nos et alios interest, quod
 alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim
 fere in libris Dialecticorum Physicorumve, aut in iis, quibus medicinae iurisve civilis
 scientia continetur, quidquam reperias, cuius intelligentiam non ex illis ipsis, de
 150 quibus inscripti sunt,¹¹⁹ artibus repetere possis: at nobis ii quotidie¹²⁰ sunt explicandi libri,
 qui cum scripti sint a viris omni scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles locos ex
 omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque ceteri, etiamsi eam unam artem

146:	F:	minus	M B:	munus
149:	M:	quicquam	B F:	quidquam
152:	F:	caeteri	M B:	ceteri
	M:	etiam si	B F:	etiamsi

¹¹⁸ **Nunc tantum...meditetur:** Muretus verba Ciceronis memorat et eis respondet. “hortemurque potius liberos nostros ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur neque eis aut praeceptis aut magistris aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam se id quod expetunt, consequi posse confidant.” (Cic. de Orat. 1.19).

¹¹⁹ **de quibus inscripti sunt:** **F:** Cf. Cic. de or. II. 14. 61. *Deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis.*

¹²⁰ **quotidie:** cottidie

teneant quam docent, aliarum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo
muneri existimantur; neque unquam aut medico turpe habitum est nescire leges, aut
155 iurisperito vel medicinam vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus
omnis illa liberalium artium¹²¹ varietas non pertractanda quidem ac pernoscenda penitus,
sed degustanda¹²² tamen et delibanda necessario est.¹²³ Non longe abierimus. Superiore
anno Ciceronis orationes in Verrem¹²⁴ interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare
meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes iuris civilis ignoratio
160 fefellerat? Libros eiusdem de finibus nunc ipsum interpretandos suscipimus. Quam multa
nobis ex omnibus philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque
libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? quid terrarum situs? nisi qui haec

¹²¹ **liberalium artium:** Eruditio aetate Romanorum antiquorum et postea constabat ex tribus artibus, quae trivium nominantur. Hae artes erant ars rhetorica, ars dialectica, ars grammatica. Educatio medio illo aevo paulo aliter curabatur atque in ludis literariis antiquis. Trivium et quadrivium docebantur in ludis cathedralibus. Postea in universitatibus trivium et quadrivium docebantur. Hae quattuor artes erant “quadrivium”: ars arithmetica, ars geometrica, ars musica, ars astronomia. In universitatibus veteribus res theologicae maximopere colebantur. Litterae humaniores saeculo xv et xvi renascebantur. Cfr. capitulum **de artibus liberalibus** p. 1 praefationis huius opusculi.

¹²² **degustare:** mente attingere; notionem alicuius rei acquirere

¹²³ **nos uni...necessario est:** Muretus fortasse hic memorat verba Ciceronis: “*Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque inridenda est, et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum, et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis expromenda est; accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio libero digna celeritasque et brevitatis et respondendi et lacessendi subtili venustate atque urbanitate coniuncta; tenenda praeterea est omnis antiquitas exemplorumque vis, neque legum ac iuris civilis scientia negligenda est.*” (Cic. de Orat. 1.17).

¹²⁴ **in Verrem:** Gaius Verres fuit legatus Romanus qui Siciliam ducebat. Corruptelis depravatus esse dicitur. Cicero dedit orationes in Verrem. Verres, exsul, Massiliam ivit.

utraque utcumque teneat, satisne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos ac iocari, et nihil in docendo aliud quam puerilem voluptatem aucupari¹²⁵ putent?

Linearum 166-176 epitome: Ab aliarum denique artium praeceptoribus nemo efflagitat, nemo exspectat ut sint optimi quoque oratores. Sed praeceptor litterarum non solum aliquid de omnibus artibus scire debet, verum etiam optime loqui debet! Nemo ignoscat professori litterarum humaniorum non pulchre loquenti!

Nam illud quoque minime praetermittendum est, quod a graviorum artium¹²⁶ doctoribus neque ornata neque elegans, neque multis quidem in locis, Latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, et impure, improprie, barbaramente loquantur: suo id eis quodam iure licere creditur. At nobis dicentibus sunt qui quosdam quasi laqueos tendant; ut, si quid¹²⁷ exciderit parum expolitur, diem¹²⁸ nobis continuo dicant violatae Latinitatis:¹²⁹ quodque

163:	м:	utcunque	б Т:	utcumque
164:	Т:	Et	м б:	At

¹²⁵ **aucupari:** verbum deponens quod significat quaerere, consecrari; insidias parare; stricto sensu, aucupari pertinet ad aves captandas.

¹²⁶ **graviorum artium:** Graviores artes videntur esse medicinae, iurisprudentiae, theologiae. cfr. capitulum *De litteris quae humaniores vocantur* quod in pagina 10 huius opusculi situm est.

¹²⁷ **si quid:** si aliquid. Post verba si, nisi, num, ne, pars verbi “ali” remota est.

¹²⁸ **diem...dicant:** incusare aliquem alicuius rei. statuere diem ut in iudicium aliquis vocetur.

postremae iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in iis etiam, quae subito fundimus,¹³⁰
plurimi illigati sint et verborum et sententiarum lepores. Quae cum ita sint, quis est, qui
non intelligat, si hominum exspectationi huius professionis satisfacere cupiamus, infinitos
esse nobis labores exhauriendos? Desinant igitur, desinant isti alienae industriae
175 contemptores, gloriae obtrectatores: comprimant vocem stultitiae atque invidentiae
indicem.

*Linearum 177-180 epitome: Pergite igitur, O patres amplissimi,
haec optima studia fovere, ut iuventus bene instituta vestram
sapientiam imitetur.*

Vos vero, patres amplissimi, pergite, ut facitis, benignitate vestra labores nostros fovere:
ut haec florentissima et bonarum artium studiis deditissima iuventus, exercitationibus
hisce¹³¹ nostris ad virtutem praeparata atque praeculta, vestram olim in hac felicissima re
180 publica gubernanda sapientiam facilius imitari queat. DIXI.

¹²⁹ **Nam illud...violatae Latinitatis:** Iacobus Pontanus, qui paulo post Muretum floruit et saepe Mureti sententias secutus est, sententias suas de doctis hominibus divulgavit. Nam lingua Latina erat lingua scholastica, qua docti homines omnes artes docebant. Sed venia ad loquendum his doctis graviorum artium, quales erant iurisprudentiae, medicinae, legum, hominibus datur. Humanistae, autem, qui humanitatem docent, multo melius loqui debent. (Cfr. T. Tunberg, "De Iacobo Pontano Iesuita Deque Ciceronis Imitandi Studio", *Mantinea*, MMXV. p. 107.)

¹³⁰ **quae subito fundimus:** loquitur hic de eloquentia extemporali.

¹³¹ **hisce:** *-ce* formis hic appenditur. Est forma legitima huius verbi quae interdum invenitur. Definitio non mutatur. Idem significant *his* et *hisce*.

CAPITULUM II: ORATIO VICESIMA TERTIA

M. ANTONII MURETI ORATIONES VOLUMEN PRIMUM
DE UTILITATE IUCUNDITATE ac PRAESTANTIA LITTERARUM

ORATIO XXIII.

HABITA ROMAE XV. KAL. NOVEMBR. ANNO

MDLXXIII.¹³²

Linearum 1-12 epitome: Muretus orationem scholasticam de litteraris quotannis habere solet. Facillimum est litterarum praestantiam tractare.

Cum mihi a summis viris quorum auctoritate atque imperio nostra omnium studia diriguntur mandatum esset ut hodierno die, quo, ut scitis, more maiorum noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur aliquid publice dicerem, quo iuvenum animi ad earum amorem

T: De praestantia litterarum ORATIO XXIII.
5: DE UTILITATE IUCUNDITATE AC PRAESTANTIA LITTERARUM
ORATIO XXIII.
T: Kalend. Novemb. **5:** KAL NOVEMBR.
T: cl̄o Īo LXXIII. **5:** MDLXXIII.

¹³² **ROMAE XV. KAL. NOVEMBR. ANNO MDLXXIII:** die duodevicesimo Octobris, 1573. In urbe ipsa Roma orationem habuit. Cfr. supra. N. 48 de diebus more Romano antiquo computandis.

5 incitarentur,¹³³ (quod prius facere debueram sed inconsulto¹³⁴ quodam obsequendi studio abreptus non feceram), coepi oneris suscepti magnitudinem cum viribus meis sollicite comparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar ut mihi nihil arduum aut difficile impositum crederem. Nam ut Cyrenaeus¹³⁵ poeta facile ait esse omnibus Apollinem laudare,¹³⁶ in quo tot tantaque laudum argumenta sint: ita facile videbatur homini
10 quamlibet infanti atque indiserto laudare eas artes quas vere ac merito bonorum fontes nominare possumus. Neque enim dubitabam quin omnium concessu multo iustius artibus nostris, quam illis de quibus id Xenophon¹³⁷ dixit, honos huius nominis tribueretur.

Linearum 13-20 epitome: Multis partibus difficulius fuerat artes liberales elevare vel vituperare. Muretus vix ulla argumenta tali orationi apta invenisset - et quo animo talem orationem coram hominibus artium dignitate ac pulcritudine incensis habiturus erat?

Cogitabam etiam tum demum in summa me difficultate versaturum fuisse, si eas, aut,

¹³³ **quo...incitarentur:** Muretus discipulos ad disciplinam nostram allicere volebat, ut ei litteras humaniores amarent.

¹³⁴ **inconsulto:** non erat propositum excogitatum in antecessum ut orationem omitterem. aliquid me ab oratione avocavit.

¹³⁵ **Cyrenaeus poeta:** Callimachus nominabatur Cyrenaeus poeta. Callimachus, poeta Graecus, c. 310^o ad 240^{um} a.C.n. vixit. Multa scripsit ex quibus pauca hodie exstant. Hymnum in Apollinem (εις Απόλλωνα), quod hodie exstat, scripsit.

¹³⁶ **facile...laudare:** τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον αἰεῖδοι; Callimachi Hymni in Apollinem 31: quis Apollinem facile non laudat?

¹³⁷ **Xenophon:** Historicus Graecus qui vixit anno 430o a.C.n. usque ad annum 354um, in libro qui inscribitur *Cyropaedia* scripsit, “οἱ τε λέγειν προθυμούμενοι δεινοὶ γενέσθαι οὐχ ἵνα εὖ λέγοντες μηδέποτε παύσωνται, τοῦτο μελετῶσιν, ἀλλ’ ἐλπίζοντες τῷ λέγειν εὖ πείθοντες ἀνθρώπους πολλὰ καὶ μεγάλα ἀγαθὰ διαπράξεσθαι” Hi, qui dare orationes volunt, eloquentiam discunt ut eloquentia hominibus persuadeant et bona faciant. Non eam discunt ut loquantur sine fine.

quod nefas est, vituperare iussus essem, aut earum dignitatem abiicere et extenuare
15 dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicuius momenti esset, ad eam
rem reperire potuissem. Quod si Socrates praesente Phaedro¹³⁸ amorem vituperaturus,
facere id non audet nisi sibi prius pallio caput obnupserit:¹³⁹ multo me magis verecundari
par fuisset in tanto eruditissimorum hominum coetu declamantem adversus eas artes
quarum omnes dignitate ac pulcritudine ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne
20 vitam quidem ipsam iucundam putetis.

Linearum 21-36 epitome: Facile est laudare rem, quam auditores iam amant. Itaque Muretus litteras, quae ab auditoribus amentur, facile laudabit. At sollicitatur, quia quodcumque dixerit et quantacumque verborum et argumentorum copia disseruerit, semper videbitur uni homini vel alteri (inter tot auditores) aliquid omisisse, quod dici debuerit!

Nunc, ut idem ille sapientissimus senex¹⁴⁰ factu facile esse ait Athenienses Athenis
laudare,¹⁴¹ quod, quae quisque amat, ea libentissime laudari audit: sic et ipse mihi videbar
facilem et expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea
quae vobis omnibus in amoribus ac deliciis esse constaret. Sed interdum occurrebant alia

¹³⁸ **Phaedro:** Φαῖδρος est dialogus a Platone Graece scriptus, in quo eloquentia tractatur. Phaedrus est persona in dialogo, et Socrates. Prima verba sunt, “O Phaedre, quo vadis et unde venisti?”

¹³⁹ **obnupserit:** obnubere significat operire, velare, tegere. Homo caput reverentiae causa velat. ἐγκαλυψάμενος. (Plat. Phaedrus 237a).

¹⁴⁰ **idem ille sapientissimus senex:** *idem* spectat at Socrates (Or. XXIII.16 nostris numeris).

¹⁴¹ **factu facile esse ait Athenienses Athenis laudare:** (Plat. Menex. 235d). “εἰ μὲν γὰρ δεῖοι Ἀθηναίους ἐν Πελοποννησίῳ εὖ λέγειν ἢ Πελοποννησίους ἐν Ἀθηναίῳ, ἀγαθοῦ ἂν ῥήτορος δεῖοι τοῦ πείσοντος καὶ εὐδοκιμήσοντος: ὅταν δέ τις ἐν τούτοις ἀγωνίζηται οὐσπερ καὶ ἐπαινῆ, οὐδὲν μέγα δοκεῖν εὖ λέγειν.”

25 quae me commoverent nec quieto esse ac securo animo sinerent. Nam et in tam ubere ac
copiosa materia necesse est unicuique audientium multa in mentem venire quae
commode dici queant; neque fieri potest, ut quidquid omnes cogitant, dicat unus;¹⁴² et ea
est hominum natura, ut cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt:
non hoc quoque dici potuisse, sed hoc potissimum dici debuisse contendat.¹⁴³ Ita dum pro
30 suo quisque captu¹⁴⁴ quid ipse dicturus fuerit cogitat et alia prope omnia fastidiens dum id
unum dicatur avide exspectat: quidquid dixeris, semper videberis omisisse praecipua, et
omnia communia ac contrita dixisse quod ea non dixeris, quae si dixisses, ipsa quoque
aliis obsoleta et vulgaria viderentur; ut melior hac in parte sit eorum conditio, qui aridis
ac sterilibus in argumentis versantur, quorum, sive abundarunt, laudatur ingenium, sive
35 defecerunt, materiae ieiunitas accusatur: cum contra, ubi ampla dicendi seges est,
quidquid allatum est, ubertati materiae adscribatur; quidquid omissum est, tibi.

*Linearum 37-52 epitome: Si vix potuerit quidquam novi invenire,
quod in laudem litterarum dici possit, saltem vera, utilia, apta
dicere poterit, quae sint his auditoribus digna. Auditores sunt
felicissimi, utpote qui ad optimarum artium cultum aggrediantur.*

Ego vero quomodo aut quidquam allaturum esse me sperem, quod novitate audientium
animos teneat, cum iis in rebus mea versatura sit oratio, in quibus praestantissima se

¹⁴² **neque fieri...unus:** omnia quae alii homines cogitant unus homo dicere non potest,
(praesertim quod tam multa sunt dicenda.)

¹⁴³ **et ea est...debuisset contendat:** Paulo involuta est sententia. Ecce natura humana:
orator primus de quodam argumento cogitat. Alter orator orationem habet; tamen alter
orator non omnia dicit, quae primus orator audiens putat se in simili condicione dicturum
fuisse, si ipse loqueretur. Deinde orator primus putat oratorem alterum non tantum
potuisse id dicere, sed necessario debuisset id dicere.

¹⁴⁴ **pro suo captu:** secundum suam comprehendendi rationem.

omnium aetatum ingenia exercuerunt: aut ita dicturum, ut non innumerabiles alii iisdem
40 de rebus ornatus ac copiosius dixerint? Sed mihi neque valde laborandum est, ut nova
conquiram (non enim cantilenae sunt hae, quibus novitas, ut ait Telemachus,¹⁴⁵ conciliat
gratiam, sed praecepta quibus vetustas addit auctoritatem) et si vera, utilia, apta ad id
quod mihi propositum est, digna huius loci auctoritate, digna vestris auribus attulero,
quibus ea cumque verbis extulero, hoc ipso me satis ornate dixisse arbitrabor. Agite
45 igitur, viri praestantes et cum aliis nominibus, tum praecipue harum, de quibus dicere
ingredior, artium cultu et tractatione clarissimi: agite, studiosi adolescentes, quorum
mollis adhuc et tenera aetas in eiusdem gloriae spem eodem quasi lacte Musarum
educatur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qui instinctu quodam afflatuque divino
ad eas potissimum artes animum appulistis, quibus, sive quis utilitatem sequatur, nihil
50 fructuosius; sive oblectationem, nihil suavius ac iucundius; sive splendorem ac
pulchritudinem, nihil illustrius aut ad struendam nominis immortalitatem firmiter ac
stabilius reperiri potest.¹⁴⁶

41: T: cantilenae

5: catilenae

¹⁴⁵ **ut ait Telemachus:** τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι, | ἢ τις
ἀκούοντεςσι νεωτάτη ἀμφιπέληται. (Hom. Od. 1.351-352). Homines parati sunt accipere
id quod nuper audiebant.

¹⁴⁶ **sive quis utilitatem...reperiri potest.:** Muretus tres causas cur homines legant litteras
humaniores indicat: utilitatem, oblectationem, pulchritudinem.

Linearum 53-64 epitome: Veteres, quo die uni cuique deorum dicatus erat, eo die eius laudes canere solebant. Etiam igitur iustius Muretus eo die, quo studia academica post intercapedinem redintegrantur, litteras coram hominibus, qui litteris dicati sunt, laudare potest. Et artes et Deus artium auctor laudabuntur.

Nam si veteres illi, qui errore ducti plures esse Deos opinabantur, quem cuique eorum diem consecrant, eo laudes ipsius commemorare ac concinere solebant: multo nobis
55 iustior causa est, quicunque iisdem honestissimarum artium studiis quasi quibusdam sacris initiati sumus, cum hic nobis anniversarius dies maiorum sapientia et auctoritate ad intermissam per aliquot menses earum exercitationem de integro repetendam constitutus sit, cur ab earum commendatione principium ducere debeamus easque celebrare, quas nobis vicissim aliquid celebritatis allaturas esse confidimus. Meminisse autem debemus
60 iccirco hunc sanctum atque augustum locum ad hanc rem delectum esse, ut et in laudandis artibus Deum ipsum laudemus, qui, ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit: et publice contestemur ac profiteamur, studia omnia laboresque nostros et Deo auctore atque auspice¹⁴⁷ suscipi, et ad ipsius gloriam tanquam ad finem nobis omnibus praecipue propositum referri.

¹⁴⁷ **Deo auctore atque auspice:** *Deo auspice sibi vult deo fautore.*

Linearum 65-79 epitome: Ut omnes artes sunt bonae, ita hae artes (quae in litteris versantur) praecipuae 'bonae' dicuntur. Sunt enim liberales, h. e. dignae quae ab hominibus liberis exerceantur. Totum hoc artium genus aptissime a Latine loquentibus 'humanitas' vocatur. Homines enim hisce artibus exculti non multo minus ab aliis distant, quam ceteri ab animalibus. Acuuntur enim his artibus 'ratio' et 'oratio', duae facultates, quibus homines a bestiis separantur.

- 65 Unde igitur, in tanta eorum quae se ad dicendum offerunt, copia potissimum exordiar?
An ab eo, quod semper apud gravissimos quosque gravissimum fuit, antiquitatis testimonio? quae, cum artes omnes bonae sint (nam si quae malae artes dicuntur, immerito eis artium nomen tribuitur) has tamen nostras proprio ac peculiari nomine bonas artes vocavit; easdemque artes ingenuas, artes liberales, quod alias aut a servis aut ab
- 70 hominibus servili praeditis ingenio exerceri, has unas ab ingenuis ac liberis excoli consentaneum iudicaret. Quin etiam¹⁴⁸ cum Graeci earum cognitionem sua lingua tali quodam vocabulo¹⁴⁹ affecissent, ex quo id modo intelligeretur, statim a pueritia dandam eis operam esse: maiores nostri hoc, ut pleraque, melius ac sapientius: qui totum hoc artium genus humanitatem vocarunt; credo, indicantes, non multo minus inter homines
- 75 talibus disciplinis expolitos et vulgus aliorum quam inter ceteros et pecudes interesse.

¹⁴⁸ **quin etiam:** *certe.* Saepenumero, Muretus, ut Cicero, *quin* cum verbo negativo usurpat, dicens “*ut non*”. Hic, aliter.

¹⁴⁹ **quodam vocabulo:** *humanitas*, quae sibi vult *eruditio* (παιδείαν), neque *clementia* (φιλανθρωπία). Muretus videtur memorare locos Gellii. “*Qui verba Latina fecerunt quique his probe usi sunt 'humanitatem' non id esse voluerunt quod vulgus existimat quodque a Graecis φιλανθρωπία dicitur et significat dexteritatem quandam benivolentiamque erga omnes homines promiscam; sed 'humanitatem' appellaverunt id propemodum quod Graeci παιδείαν vocant, nos 'eruditionem institutionemque in bonas artes' dicimus. Quas qui sinceriter percipiunt adpetuntque, hi sunt vel maxime humanissimi. Huius enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est idcircoque 'humanitas' appellata est.*” (Aul. Gell. Noctium Aticum 13.17.1).

Homines enim duabus praecipue rebus a ceteris animantibus discernimur, ratione et rationis interprete oratione:¹⁵⁰ quarum utraque in eis, qui harum artium expertes sunt, rudis quodammodo et inchoata; qui eas bene penitus combiberunt, perfecta in illis atque absoluta est.

Linearum 80-86 epitome: Muretus duas fabulas de Aristippo narrat, quae auditoribus sint documento homines cultu litterarum vacuos esse similes lapidum vel fortasse servorum.

80 Aristippus¹⁵¹ quidem, cum quaesiisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset,¹⁵² “Si nihil aliud, hoc certe,” inquit, “quod in theatro lapis¹⁵³ in lapide non sedebit.” Idemque alteri, qui cum sibi nimium magnam mercedem posci pro institutione filii videretur, dixerat: “Ista pecunia servum mihi emere possum.” “Tu vero,” inquit iocans, “etiam hoc amplius: si unum emeris, duos habebis.”¹⁵⁴ Significavit videlicet, quorum
85 collustratus doctrinarum luce non esset animus, eos lapidum, non hominum, aut si forte inter homines, servorum, non ingenuorum loco ac numero esse habendos.

¹⁵⁰ **Homines enim...interprete oratione:** cfr. capitulum introductionis *De litteris quae humaniores vocantur* quod in pagina 10 huius opusculi situm est.

¹⁵¹ **Aristippus:** Aristippus Cyrenaeus, philosophus Graecus, qui anno 435^o usque ad annum 356^{um} vixit, erat discipulus Socratis.

¹⁵² virgula, quae hic posita est, erat signum interrogativum in omnibus editionibus. Hoc autem interrogatum oratione obliqua proponitur.

¹⁵³ **in theatro lapis in lapide non sedebit:** potestne lapis intellegere id quod in theatro sit dictum? Quid, ergo, dicitur de homine non erudito?

¹⁵⁴ **Aristippus quidem...duos habebis.:** Muretus memorat fabulam quam Diogenes Laertius narrabat. “ἔρωτηθεὶς ὑπὸ τινος τί αὐτοῦ ὁ υἱὸς ἀμείνων ἔσται παιδευθεὶς, ‘καὶ εἰ μηδὲν ἄλλο,’ εἶπεν, ‘ἐν γοῦν τῷ θεάτρῳ οὐ καθεδεῖται λίθος ἐπὶ λίθῳ’ συνιστάντος τινὸς αὐτῷ υἱὸν ἦτησε πεντακοσίας δραχμάς: τοῦ δ’ εἰπόντος, ‘τοσοῦτου δύνναμαι ἀνδράποδον ὠνήσασθαι,’ ‘πρίω,’ ἔφη, ‘καὶ ἕξεις δύο.’” (Diog. Laert. 2.8.72).

Linearum 87-95 epitome: Sunt quattuor viae, quarum unam a principio vitae homini sequi necesse est. Via, quae ad litteras ducit, ostendetur esse optima.

Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti quattuor omnino esse viae videntur, quarum unam aliquam a principio aetatis capessere ac postea persequi prope necesse sit: ex quibus ne dubium quidem esse potest, quin ea, quam ipsi ingressi estis, longe multumque aliis
90 omnibus anteponenda videatur. Nam qui ista aetate sunt, partim otio se atque ignaviae dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii praesertim quibus amplum patrimonium est; partim si angustior sit res, quam ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam factitandam,¹⁵⁵ alii, qui excelsiore sunt animo, armorum tractationem et militaris rei gloriam sibi proponunt; alii denique animum ad litteras et ad haec mitiora studia
95 appellunt.

Linearum 96-120 epitome: Homines, quibus est patrimonium amplum, se saepe otio dant vitaque voluptaria fruuntur. Tales homines vix vivere videntur – tam inutiles sunt.

Quid igitur istis turpius aut abiectius, qui torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? qui, ut Phaeaces illi

¹⁵⁵ **factitandam:** *factitare* sibi vult *frequenter facere*. Est verbum temporale frequentativum, quoque nominatur iterativum.

Homerici,

Non pugnīs durave exercent membra palaestra;

100 *Sed mensam et citharae strepitum dulcesque choreas.*

*Stragulaque et molles curant post balnea lectos:*¹⁵⁶

Margitae¹⁵⁷ illius simillimi, de quo idem Homerus:

Non fodere ille bonus durisve ligonibus arva

Vertere, non ulli vivebat idoneus arti.

105 Sic enim et hi neque domi neque militiae, neque privatim neque publice, neque sibi neque aliis utiles, ita vitae curriculum conficiunt, ut, veluti naves, nullum sui vestigium relinquunt. Qui mihi, si diis placet, quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquit, in opere occupati sint: nobis maiorum nostrorum virtute est, unde otiosi laute splendideque vivamus. Quid maiores vestros nominatis? qui si vestri

¹⁵⁶ **non pugnīs...balnea lectos:** οὐ γὰρ πυγμαῖοι εἰμὲν ἀμύμονες οὐδὲ παλαισταί, | ἀλλὰ ποσὶ κραιπνῶς θέομεν καὶ νηυσὶν ἄριστοι, | αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρις τε χοροὶ τε | εἵματά τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί. (Hom. Od. 8.246-249) Verba Homerica, quae in linguam Latinam Muretus reddebat, ingenium Phaeacum describunt. Phaeaces (Φαίακες) vitam luxuriosam in insula Σχερία (Corcyra, insula quae sita est prope Ithacam, regnum Ulixis) agebant otioque fruebantur. (Hornblower et Spawforth. *The Oxford Classical Dictionary*, 3rd ed. "Scheria". p. 163. Oxford University Press.) Muretus ingenio Phaeacum quandam pigritiam ignaviamque tributus est. Phaeaces autem Homerii non pigri erant, sed boni homines. Phaeaces rarissime peregrinos videbant, sed Ulixem bene tractabant.

¹⁵⁷ **Margitae:** carmen a Homero scriptum, ut traditur. Tantum fragmenta hodie habemus. "*Non fodere...idoneus arti*" Sententia apud Aristotelem reperitur. "ὥσπερ Ὀμηρός φησιν ἐν τῷ Μαργίτη: τὸν δ' οὐτ' ἄρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν | οὐτ' ἀροτῆρα οὐτ' ἄλλως τι σοφόν." (Aristot. Nic. Eth. 6.7.2.) Margites est nomen cuiusdam hominis. Verbum μάργος sibi vult stolidus, vesanus, amens.

110 similes fuissent, vos hodie in postremis iaceretis. Si, quales vos estis, tales ipsi fuerunt, indigni sunt qui nominentur; sin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At videte, quantopere a sapientissimi poetae Hesiodi¹⁵⁸ iudicio vestra ratio discrepet. Laborem ille et industriam nemini, languorem et ignaviam omnibus turpem esse confirmat.¹⁵⁹ Praeclare Cicero, “Mihi quidem,” inquit, “qui nihil agit, esse omnino non videtur.”¹⁶⁰

115 Nam et physici docent, quae cuique rei causa est ut sit, eandem ei esse causam ut aliquid agat. Sed omittamus hos molles et delicatos, neque eos ex somno, cui tam libenter indulgent, excitemus: teneamusque id, quod a sapientissimis viris proditum est, nihil esse inertia foedius; otio ali vitia; otium, ut non gravissimus poeta gravissime tamen cecinit Catullus,¹⁶¹ non privatis modo hominibus, sed et regibus et prius beatis urbibus exitii

120 causam fuisse.¹⁶²

¹⁵⁸ **Hesiodi:** Hesiodus fuit poeta Graecus qui fertur vixisse inter saeculum nonum a.C.n. et saeculum octavum a.C.n. Scripsit carmina de deis Graecis et de cultu deorum Graecorum.

¹⁵⁹ **Laborem ille...esse confirmat.:** ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος. (Hes. WD 311). Negotium non est malum, sed otium. Quam sententiam Xenophon, persona Socratis, memoravit. (Xen. Mem. 1.2.56).

¹⁶⁰ **Mihi quidem...non videtur.:** (Cic. Nat. Deor. 2.44). Argumentum Ciceronis est natura deorum. Dixit neminem non laborare.

¹⁶¹ **Catullus:** Catullus fuit poeta Romanus qui Veronae anno 86^o a.C.n. natus est. Carmina lyrica cecinit. Nominatus est poeta neotericus. F: Catull. LI. 15.

¹⁶² **inertia...fuisse:** Muretus *inertia* ubi Catullus *otium* in carmine 51^o (v.13-16) scripsit.

*otium, Catulle, tibi molestum est:
otio exsultas nimiumque gestis:
otium et reges prius et beatas
perdidit urbes.*

Linearum 121-161 epitome: Alii homines (quorum patrimonium nonnumquam est minus amplum) se cuidam arti (sed non litteris) tradere solent. Ex artibus civitati utilibus praecipuae videntur esse agricultura et mercatura. Et artes minime sordidae, quae ad ornamentum civitatis pertinent, pictura et statuaria sunt. At beneficia harum artium cum beneficiis litterarum nullo pacto sunt aequiparanda. Beneficia enim litterarum non sunt casibus exposita; sunt perennia; cogitationes hominum et res gestas, non tantummodo corporis effigiem conservant. Quod litteris traditur non uno in loco, sed per totum orbem terrarum percipi potest.

Cum igitur otiosa et ignava vita ne vita quidem habenda sit, videamus num ad aliquam potius aliarum artium quam ad litteras animum adiacere praestet. Equidem cum mente ac cogitatione perlustro eas artes, quibus cum hisce studiis nostris aut nulla aut non magna communio est, ex iis quidem quae ita necessariae sunt, ut eis civitas nullo modo carere
125 possit, duas praecipuas iudico, agriculturam et mercaturam; ex iis autem, quae ad ornamentum civitatis et ad animos honesta voluptate perfundendos pertinent, duas minime sordidas minimeque illiberales, picturam et statuariam. Nam quod boni unaquaqueque civitas percipere ex suo et patrio solo potest, id agricultura educit atque elicit; quo eget, id aliunde mercatura comportat. Ita civitas sine alterius ope ne suis
130 quidem opibus fruitur; alterius beneficio, fruitur etiam alienis. Pictorum autem et statuariorum opera et voluptatis atque admirationis habent plurimum; et quae liberalium artium nota est, ingenii, non corporis viribus constant; et ad conservandam clarorum virorum memoriam ceterosque ad eorum imitationem incitandos non immerito magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis ausit harum artium ullam cum litterarum studio
135 comparare? Nisi forte maius est agrum quam ingenium colere, aut iacta in terram semina

depactive¹⁶³ surculi quam ingenia praeceptis Philosophiae consita ampliores aut uberiores fructus ferunt. Mercatura autem vel, si tenuis est, sordida est; vel, si ampla, tot exposita periculis, ut merito ille olim Laco¹⁶⁴ negaverit optabilem sibi videri fortunam, quae rudentibus apta esset;¹⁶⁵ cuiuimodi¹⁶⁶ autem sit, tota fere ad quaestum et ad lucrum
140 refertur. At litterarum tractatio et dignitatis plenissima est et quietis; et eas opes consecatur, quae nec furem nec praedonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiae sunt, nec ullis denique casibus eripi possunt. Iam vero quae Apellis¹⁶⁷ aut Protogenis¹⁶⁸ tabulae cum Homeri pictura, quae Phidiae¹⁶⁹ aut Praxitelis¹⁷⁰ statuae cum

139: F: cui cuimodi **5:** cuiuimodi

¹⁶³ **depactive:** depacti-ve.

¹⁶⁴ **Laco:** Laco est homo Lacedaemonius, homo Spartanus.

¹⁶⁵ **ille olim...apta esset:** ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur, qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in mare demisisset, “non sane optabilis quidem ista” inquit “rudentibus apta fortuna.” (Cic. Tusc. 5.40)

¹⁶⁶ **cuiuimodi:** ex *cuiuscuiusmodi*; *qualiscumque sit*.

¹⁶⁷ **Apellis:** Apelles fuit pictor Graecus qui tempore Alexandri Magni vixit.

¹⁶⁸ **Protogenis:** Protogenes fuit pictor Graecus. Graeci vix poterant decernere inter illos uter esset melior pictor, Apelles an Protogenes. Tabellas ab illo pictas hodie non habemus.

¹⁶⁹ **Phidias:** Φειδίας c. anno 490^o usque ad annum 430^{um} a.C.n. vixit. Phidias erat sculptor Atheniensis celeberrimus qui sculptores templi illius Parthenonis Athenis ducebat.

¹⁷⁰ **Praxiteles:** Πραξιτέλης c. anno 370^o usque ad annum 330^{um} a.C.n. vixit. Praxiteles erat sculptor Graecus celeberrimus. Statuae eius a statuis ab aliis sculptibus differebant, quod viventiores videntur, nam figurae non tam rigide stant, sed genu flexo nituntur.

litterarum monumentis conferri queant? Quos ipsos hodie ignoraremus, nisi solidiorem ac
145 diuturniorem gloriam essent commendatione scriptorum quam artis suae operibus
consecuti. Nam quae illi artificio suo elaborarant, et solius corporis effigiem exprimebant,
et uno tantum spectabantur in loco, et eam naturam habebant, ut ea, si nihil aliud, ipsa
certe longinquitas temporis confectura ac consumptura esset. At eruditorum hominum
lucubrationes et clarorum virorum non formam modo corporis, sed ingenia, mores,
150 consilia, res gestas subiiciunt oculis; et iisdem, quibus orbis ipse terrarum, terminis ac
regionibus continentur; et tantam vim habent, ut illa ipsa aliorum omnium humanorum
operum confectrix vetustas his unis non modo nihil detrahat, sed maiorem in dies
comparet ac conciliet dignitatem. Trecentas sexaginta Demetrio Phalereo statuas aereas
populus Atheniensis anno uno eoque non toto posuerat, quibus omnibus Demetrius ipse
155 superstes fuit.¹⁷¹ At quae ipse sibi monumenta ingenii ac doctrinae magnitudine
extruxerat, ea et multis post ipsum saeculis viguerunt; et cum postea densa quaedam et
opaca nox omnem prope disciplinarum lucem exstinxisset, ex oculis erepta, incredibile
desiderium sui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elate et magnifice de se, ut
solet, Pindarus, sed tamen vere. Statuarium esse se negat, qui mutas statuas edolet una
160 defixas in basi: sed quos ipse cantibus suis celebret, eorum famam terra marique spargi ac

152: T: indies 5: in dies

¹⁷¹ **Trecentas sexaginta...superstes fuit.:** Fabula a Plinio Maiore narratur. “*nullique arbitror plures statuas dicatas quam Phalereo Demetrio Athenis, siquidem ccclx statuere, nondum anno hunc numerum dierum excedente, quas mox laceravere.*” (Plin. Nat. 34.12).

disseminari.¹⁷²

Linearum 162-179 epitome: Vita militaris a quibusdam eligitur - quae sane laudabilis esse potest. Sed non minora (quin etiam saepe maiora) emolumenta ad homines e litteris veniunt quam e virtute bellica. Et cultor litterarum saepius quam miles ad senectutem usque vivit, nec vitam inter cruorem et armorum strepitum agit.

Sed erunt fortasse, qui vitam militarem huic nostrae pacatae atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare aut conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propositum est neque fas videtur. Potius
165 omnibus, qui dicendo aliquid possunt, omnem industriam ad eos celebrandos conferendam censeo: et hoc ipsum numero inter praecipua bona, quae ab artibus nostris in vitam hominum manant, quod earum ope praeclara illorum facinora ad immortalem posteritatis memoriam consecrantur. Sed tamen si quis secum in animo reputet, quae vita sit eius hominis, qui modicis opibus instructus, in litterarum studio molliter ac placide
170 consenescat; et quae eius, qui ab adolescentia armis tractandis assuetus, sub dio saepius quam sub tecto, sub pellibus saepius quam domi somnum capiat, vix dubium fore arbitror, ultra melior et magis expetenda sit. Alterius aures tubarum et lituorum et cornuum clangore; alterius Musarum concentu et Apollinis fidibus adsidue personant. Illius oculi caede et sanguine et incendiis; huius admirabilium naturae operum adspectu et
175 contemplatione pascuntur. Ille aut in ipso aetatis flore hostili gladio transverberatur, aut

¹⁷² **Elate et...ac disseminari.:** Pindarus fuit poeta Graecus. Muretus verba Pindari in linguam Latinam reddebat. “οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμι, ὥστ’ ἐλινύσοντα ἐργάζεσθαι ἀγάματ’ ἐπ’ αὐτᾶς βαθμίδος | ἐσταότ’: ἀλλ’ ἐπὶ πάσας ὀλκάδος ἔν τ’ ἀκάτω, γλυκεῖ ἄοιδά, | στεῖχ’ ἀπ’ Αἰγίνας, ...” (Pind. N. 5).

mancos ac debiles artus et insignem cicatricibus vultum referens domum redit; hic ut animo ita et corpore integer, vultum, nisi quantum rugae canique venerationis addiderunt, etiam nutrici agnoscendum¹⁷³ perfert ad ultimam senectutem.

Linearum 179-187 epitome: Miles in finibus proferendis, in urbibus expugnandis, in hostibus repellendis et trucidandis versatur. Cultor litterarum occupatur in animo regendo, in civitate gubernanda, in hominibus a caedibus oratione sua revocandis. Usus militiae tantum in bello conspicitur: cultus litterarum et in bello et in pace est salutaris.

Neque vero minus gloriosa aut minus hominum generi fructuosa huius quam illius opera.

180 Occupatur ille in finibus imperii proferendis; hic in finibus cupiditatum regendis ac coercendis. Novit ille, quemadmodum urbes expugnentur; hic quemadmodum gubernentur: ille quemadmodum iniuria aut repellatur aut reponatur; hic quemadmodum et accipiatur aequo animo et negligatur. Dicit ille, quam multos homines manibus suis trucidaverit: hic, quam multos a caede facienda, oratione sua revocaverit: ille, quam

185 multos in servitutem abduxerit; hic, quam multos a servitute vitiorum in veram libertatem perduxerit. Illius usus nisi in bello nullus est; huius opera et in bello et in pace salutaris.¹⁷⁴

¹⁷³ **Ille aut...nutrici agnoscendum:** Muretus fabulam in libro undevicesimo Odysseae scriptam fortasse memorat. Nutrix sola Ulixen agnoscit. ἢ μάλ' Ὀδυσσεύς ἐσσι, φίλον τέκος: οὐδέ σ' ἐγώ γε | πρὶν ἔγνω, πρὶν πάντα ἄνακτ' ἐμὸν ἀμφαφάασθαι. (Hom. Od. 19. 473-475).

¹⁷⁴ **Dicit ille...salutaris:** Muretus hic memorat: *Cedant arma togae, concedat laurea laudi!* (Cic. Off. 77.1 et Cic. Cons. frag 6.)

Linearum 188-194 epitome: Si homines Dei ac naturae iussa sequerentur, iacerent omnes artes belli; sed artes liberales flourerent.

Itaque si homines inter se amice¹⁷⁵ ac concorditer viverent, si Dei ac naturae iussa sequerentur, si denique ii essent, qui esse deberent, iacerent omnes artes belli, ut quarum
190 inter iustos iustus usus esse non possit; nostrae vero tum demum flourerent ac vigerent; tum demum eas optimus quisque summa corporis et animi contentione sequeretur. Neque vero quemquam ita esse arbitror sanguinarium, cui non praeoptanda videatur nullius empta lacrymis gloria, neque ullo nisi puro illo ac limpido Aganippes¹⁷⁶ rore irrigata, quam tabo et cruore oblita et multa strage ac cladibus comparata.

Linearum 195-233 epitome: Homines qui putant nullum quaestum e litteris proficisci, decipiuntur. Multi homines propter cultum litterarum ditati sunt. Thales Milesius astrorum scientia fretus lucrum ex olearum ubertate fecit: Gorgias Leontinus lucrum sibi ex rhetorices professione paravit: similiter ditatus est Isocrates: Seneca propter litteras et eruditionem maximas opes habuit.

195 Multa consulto praetereo: quod mihi non tam, ut copiam et varietatem consector, laborandum est, quam ut effugiam satietatem. Quis enim unquam tanta ubertate ingenii, tanta dicendi copia praeditus reperietur, qui litteras ita laudare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse videatur? Omnia, quae homines in vita expetunt, cuiuscunque tandem generis illa sint, nulla re certius aut facilius quam eruditione ac

¹⁷⁵ **amice:** adverbium; cum amicitia

¹⁷⁶ **Aganippes:** Aganippe est fons situs in Boeotia, quae est pars Graeciae. Fons in monte Helicone, ubi Musae habitant, esse dicitur. Is, qui aquam ex fonte Aganippes bibit, ab Musis inspiratur, nam Musae et deus Apollo fontem fovent. Verbum *Aganippe* de poetis, de carminibus, de litteris humanioribus nobis dicit.

200 litteris acquiri, conservari, amplificari queunt. Est qui rei familiaris angustia pressus, ex
ea expedire se et ad moderatas opes sine ulla turpitudine pervenire cupiat: quae ad id
conficiendum via aut honestior aut facilior est? Quam multos ex tenui et exili patrimonio,
aut iuris scientia aut medendi arte fretos, ut eas potissimum nominemus, paucis annis ad
maximas divitias pervenire vidistis? Nam quod plerique vulgato iam proverbio dictitant,
205 ex omni nostrarum artium numero duas modo illas frugiferas esse ac fructuosas, ceteras
cultoribus suis decoquere ac decollare: in eo vanitatis illos ac mendacii facile res ipsa
coarguit. Nota est historia de Thalete Milesio,¹⁷⁷ qui cum a propinquis obiurgaretur, quod
omne tempus in sapientiae studio poneret, quod ad faciendam pecuniam, in qua illi posita
putabant omnia, nulli usui esset: “vultis,” inquit, “ostendam vobis, posse hominem huic
210 studio deditum, si ei commodum sit, divitem fieri, et hanc esse, si quis velit, ad quaestum
ac compendium vel maxime compendiarium viam?” Cum illi se velle dixissent, homo,
qui ex astrorum scientia magnam eo anno olearum ubertatem praevideret fore, multo
ante, exiguo pretio, cum contra licitaretur nemo, omnia Chiorum¹⁷⁸ ac Milesiorum
praela¹⁷⁹ ac trapeta¹⁸⁰ conduxit: quae cum postea suo tempore, quanti voluit, elocasset

¹⁷⁷ **Thalete Milesio:** Thales Milesius erat philosophus Graecus qui saeculo sexto a.C.n. vixit. Astronomia, historia rerum gestarum, arithmetica, et scientia rerum naturae, inter alia, studium eius excitaverunt. Olim Thales pecunia egebat, et propter consilium tractatum in fabellis quas Muretus in linguam Latinam ex lingua Graeca vertebat, Thales pecuniam suam accepit. “φησι δὲ καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων, ὅτι βουλόμενος δεῖξαι ῥάδιον εἶναι πλουτεῖν, φορᾶς μελλούσης ἐλαίων ἔσεσθαι, προνοήσας ἐμισθώσατο τὰ ἐλαιουργεῖα καὶ ἀμπλειςτα συνεῖλε χρήματα.” (Diog. Laert. I.26). Fere eadem fabella ab Aristotele in opusculo eius de rebus politicis narratur. (Aristot. Pol. 1.1259a).

¹⁷⁸ **Chiorum:** Homines qui Chii habitant. Chios est insula in mari Aegaeo sita.

¹⁷⁹ **praela:** praelum est machina qua aut oleum exprimitur aut vinum. Saepe forma invenitur quae est “prelum”.

215 magnamque ex eo vim pecuniae collegisset, ostendit philosophos non tam rem facere non
posse, quam maioribus ac praestantioribus cogitationibus occupatos de ea facienda non
laborare. Quid Leontinus Gorgias?¹⁸¹ nonne rhetorices professione et maximas sibi
divitias peperit et tantam gloriam, ut ei vivo ac videnti honoris ergo¹⁸² aurea statua in
Apollinis Pythii¹⁸³ templo constituta sit? Quid ille, qui eloquentiae quasi mercator atque
220 opifex quidam habitus est Isocrates?¹⁸⁴ non et summa gloria fuit et iis opibus, ut ter ad
trierarchiam¹⁸⁵ vocatus, cum eam bis effugisset, ad postremum splendidissime ac
magnificentissime obierit?¹⁸⁶ ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque ac
locupletissimus adigebatur. Neque medicus erat optimus pessimi principis¹⁸⁷ magister

¹⁸⁰ **trapeta:** trapetum est machina qua oleum olivae exprimitur.

¹⁸¹ **Leontinus Gorgias:** Philosophus Graecus qui saeculo quinto a.C.n. vixit. Fuit sophista. *Leontini Leontinorum* m. est oppidum Siculum. Ante tempus imperii Romani Sicilia et pars Italiae meridionalis nominabantur Magna Graecia. Muretus videtur memorare fabulam a Plinio Maiore narratam de statua aurea. “*hominum primus et auream statuam et solidam lxx circiter Olympiade Gorgias Leontinus Delphis in templo posuit sibi. tantus erat docendae artis oratoriae quaestus.*” (Plin. Nat. 33.83).

¹⁸² **ergo:** *ergo* post verbum casu genetivo significat paene idem ac *propter*. *honoris ergo* est *propter honorem*. Similiter: *honoris causa*, *honoris gratia*.

¹⁸³ **Pythii:** Pythia erat sacerdos, antistita quae Delphis dicta Apollinis aperiebat.

¹⁸⁴ **Isocrates:** Isocrates fuit orator Graecus, amicus Platonis illius, discipulus Gorgiae. Athenis docuit.

¹⁸⁵ **trierarchiam:** trierarcha est officium eius qui regit triremem. Triremis est navis tribus remorum ordinibus instructa.

¹⁸⁶ **Quid ille...magnificentissime obierit?:** Fabula a Plutarcho in opusculo de vitis decimorum oratorum narratur. “ἦν υἱὸς Εὐαγόρου, εἴκοσι τάλαντα λαβὼν ὑπὲρ τοῦ πρὸς αὐτὸν γραφέντος λόγου ἐφ’ οἷς φθονηθεὶς τρεῖς προεβλήθη τριηραρχεῖν,” (Plut. Vit. Dec. 838a).

¹⁸⁷ **pessimi principis:** Nero. Cfr annotationem nostram 191.

Seneca: neque de iure consulebatur,¹⁸⁸ et tamen quantam sibi opum vim homo externus et
225 alienigena eloquentia et eruditione confecit? Scio hoc, quod dicam, quibusdam
incredibile visum iri; sed tamen, si vera sunt, quae litteris prodita sunt, haud scio an¹⁸⁹
nullus hodie tota Italia Princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam¹⁹⁰ quadriennio
Nero¹⁹¹ congegit. Nam cum ex veteribus illis Romanis M. Crassus¹⁹² opulentissimus
fuisse dicatur: Senecae opes Crassi opibus duplo maiores fuerunt. Prope est ut pigeat, in
230 hac parte tam diu immoratum esse: sed tamen dicendum fuit aliquid adversus stultitiam
eorum, qui aiunt, si quis iuris scientiam et artem medendi excipiat, ceterarum artium
nostrarum sterilem esse culturam. Qui error ex eo potissimum natus est, quod doctrinae
mediocritas magnos efferre fructus non potest.

¹⁸⁸ **Neque medicus...de iure consulebatur:** Muretus ad argumenti medullam pervenit. Seneca neque fuit medicus optimus apud Imperatorem Neronem, neque fuit legum peritus, sed quantam pecuniam comparavit, quamquam fuit homo non Romanus, ex eloquentia et eruditione, nec ex alia causa!

¹⁸⁹ **haud scio an:** *forsitan*. Cfr. Gildersleeve's *Latin Grammar* 457 n.2.

¹⁹⁰ **Senecam:** Lucius Annaeus Seneca erat philosophus Romanus, magister Neronis. Natus est anno 4^o a.C.n. Fuit conciliator imperatoris, nam Nero vix sedecim annos natus est cum imperium suscepit. Anno 65^o p.C.n Seneca, accusatus coniurationis, se necavit, Nerone imperante.

¹⁹¹ **Nero:** imperator Romanus qui anno 54^o usque ad annum 68^{um} p.C.n., quo anno obiit, regnavit. Natus est anno 37^o p.C.n. Nero Claudius Caesar Augustus Germanicus fuit nomen. Nerone regnante, fuit incendium ingens Romae. Fama erat Neronem esse auctorem incendii. Post incendium, Nero curavit ut domus splendidissima et opulentissima aedificaretur. Notus est Nero ob persecutionem Christianorum.

¹⁹² **Crassus:** Marcus Licinius Crassus erat unus ex tribus triumviris una cum Gaio Iulio Caesare et Gnaeo Pompeio Magno. Dicitur opulentissimus omnium hominum omnibus temporibus esse. Natus est anno 115^o a.C.n. et obiit anno 53^o a.C.n.

Linearum 234-250 epitome: Homines et optima accipient ed ad lucum summum pervenient, qui magna et praeclara concupiverint. Asseverat Muretus litteras summopere pollere patrocinantibus hominibus, quales sunt Gregorius XIII Pontifex Maximus, Ioannes Moronus sacrosancti Collegii Decanus, Aloysius Cornelius Camerarius, aliorum virorum, quorum amicitia et patrocinio usus est ipse Muretus.

Itaque excellendum est iis, qui magna et praeclara concupiverunt. At nos simul atque
235 paulum ultra prima elementa progressi sumus, falsa de nobis opinione tumefacti, quia non
in nos continuo opes et honores congeruntur, iacere¹⁹³ litteras clamitamus. Non iacent
litterae, non iacent, neque iacuerunt unquam: et, si antea iacuissent, Gregorio XIII
Pontifice¹⁹⁴ non iacebunt. An ille, cum et omni doctrina instructissimus sit, et ad illos
veteres atque usitatos nostros et litterarum patronos, Ioannem Moronum,¹⁹⁵ sacrosancti
240 Collegii Decanum,¹⁹⁶ priscae maiestatis absolutissimum exemplar, cuius in ipso nutu
plurimum auctoritatis residet, cuius e vultu ipso atque oculis elucet gravitas humanitate
condita; Aloysium Cornelium Camerarium, hominem plenum officii et ad omnium
animos ac voluntates devinciendas ipsis Gratiarum manibus factum; et illa duo ornamenta

242: T: Aloisium **5:** Aloysium

¹⁹³ **litteras iacere clamitamus:** i.e. litteras esse mortuas exclamamus.

¹⁹⁴ **Gregorio XIII Pontifice:** Gregorius XIII, qui ab anno 1502^o p.C.n. usque ad annum 1585^{um} floruit, erat Pontifex Ecclesiae Romanae. Natus est nomine Ugo Buoncompagni. Auctor kalendarii illius Gregoriani fuit, quod adhuc nostra aetate adhibemus.

¹⁹⁵ **Ioannem Moronem:** Ioannis Moronis, Giovanni Morone, fuit Cardinalis Ecclesiae Romanae, qui saeculo sexto decimo p.C.n vixit.

¹⁹⁶ **Collegii Decani:** Agitur de Collegio Cardinalium.

saeculi, firmamenta litterarum, domicilia virtutis et eruditionis, Gulielmum Sirletum¹⁹⁷ et
245 Franciscum Alciatum;¹⁹⁸ ad eos igitur, quorum iam pridem in fide ac clientela eramus,
cum proxime eum, quem pleno gradu per sua vestigia incedentem videt, quemque optimo
iure cordi suo carissimum habet, fratris filium Philippum S. Sixti¹⁹⁹ Cardinalem addiderit,
eumque florentis aetatis commendationem a litterarum patrocinio ducere voluerit: qui tali
argumento declararit voluntatem erga nos suam, is, metuimus, ne litteras aut egere aut
250 iacere patiatur?

Linearum 251-266 epitome: Ad facultates ac copias sine dedecore parandas accommodatae sunt litterae, et multo magis colendae iis, qui opibus abundant et qui stirpe nobili geniti sunt, ne, si id facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Exemplo nobis est Alexander magnus, qui dixit se plus debere Aristoteli, a quo eruditus, quam Philippo, a quo genitus esset et cuius in regnum successisset.

Sed ut, unde digressus sum, redeam atque id, quod institui, absolvam: et ad facultates ac copias sine dedecore parandas accommodatae sunt litterae, et multo magis colendae iis,

244:	F: seculi	¶:	saeculi
251:	F: declaravit	¶:	declararit

¹⁹⁷ **Gulielmus Sirletus:** Sirletus floruit ab anno 1514^o usque ad annum 1585^{um}, doctissimus Cardinalis, bibliothecarius Bibliothecae Apostolicae Vaticanae erat.

¹⁹⁸ **Franciscus Alciatus:** Alciatus erat Cardinalis qui ab anno 1522^o usque ad annum 1580^{um} vixit. Doctissimus erat in utroque iure, quae sunt ius civile et ius, quod dicitur, canonicum, id est ius Ecclesiae Romanae.

¹⁹⁹ **S. Sixti:** Hac in orationis parte, Muretus viros memorat, quippe qui beneficium erga Muretum et scholam fecerint. Sixtus IV erat Pontifex Ecclesiae Romanae saeculo quinto decimo. Notus est quod familiam suam honoribus ecclesiae instituit. Philippus Cardinalis, filius fratris Sixti, fortasse est Ippolito d'Este, qui artes liberales fovebat.

qui opibus abundant, ne, si id facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademque ratio est et eorum quibus clari et eorum
255 quibus obscuri parentes obtigerunt. Nam neque illi ullo maiori aut illustriori ornamento condecorare et, ut Homeri verbo utar, coronare²⁰⁰ possunt nobilitatem a maioribus acceptam; neque hi ex tenebris ulla ratione facilius emergere seque in luce atque in oculis omnium collocatos, a contemptu atque ab oblivione in perpetuum vindicare. Rex erat ac regis filius Alexander Macedo,²⁰¹ et viam sibi ad summam claritatem ac potentiam armis
260 quotidie muniebat. At is et plus se debere Aristoteli, a quo eruditus, quam Philippo, a quo genitus fuerat et cuius in regnum successerat, praedicabat: et cum ab illo divulgatos esse libros quosdam arduis de rebus scriptos accepisset, aegre tulit, ac generosa quadam indignatione motus, epistolam ad eum scripsit, in qua haec verba sunt: *Nam qua re posthac ceteris praestabimus, si, quae a te edocti sumus, ea omnium communia erunt?*

265: **F:** quare **¶:** qua re
266: **F:** caeteris **¶:** ceteris

²⁰⁰ **coronare:** κορώνη est summa pars arcus. “ὡς εἰπὼν τόξον μὲν ἀπὸ ἔο θῆκε χαμᾶζε, | κλίνας κολλητῆσιν ἐϋξέστης σανίδεσσιν, | αὐτοῦ δ’ ὠκὺ βέλος καλῆ προσέκλινε κορώνη, | ἄψ δ’ αὐτίς κατ’ ἄρ’ ἔζετ’ ἐπὶ θρόνου ἔνθεν ἀνέστη.” (Hom. Od. 21.136-139) στεφανώω autem sibi vult *coronare*. “τῆ δ’ ἐπὶ μὲν Γοργῶ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο | δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ Δειμὸς τε Φόβος τε.” (Hom. Il. 11.35-36).

²⁰¹ **Alexander Macedo:** fuit rex qui in Macedonia regnavit, quoque Alexander Magnus nominatur. Alexander vixit ab anno 356^o a.C.n. usque ad annum 323^{um}. Iuvenis obiit!

265 *Ego autem malim optimarum rerum scientia quam opibus et potentia ceteris anteire.*²⁰²

Haec igitur ille regum stirpe ac sanguine editus.

Linearum 267-276 epitome: Multi quoque homines loco obscuro nati ad locum amplio rem litterarum ope evec ti sunt: velut Socrates, Alcibiades, Euripides, multi alii... Immo aetates et saecula hominum saepius ob nomina eruditorum quam regum (qui illis saeculis floruerunt) innotuisse memoriae videntur!

Obscurissimo autem genere ortos quam multos nominare possumus, quos supra omnes omnium fumosas imagines²⁰³ litterae collocarunt? Obstetricis filius²⁰⁴ erat Socrates. Num igitur eo Alcibiades²⁰⁵ nobilior? Euripidis matrem vendendis oleribus vitam tolerasse
270 accepimus.²⁰⁶ At ipse et regum familiaritate usus est et ita clarus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis quam Euripides ex Archelai familiaritate noscatur.

²⁰² **Nam qua re...ceteris anteire:** Plutarchus narrat fabulam in opusculo quod inscribitur Vita Alexandri. Muretus ex lingua Graeca in linguam Latinam fabulam vertebat. “δὴ διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ’ οὗς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίας ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν.” (Plut. Alex. 7.4).

²⁰³ **fumosas imagines:** Romani antiqui imagines maiorum in atrium ponere solebant, ubi fumosae fiunt, quod sub tecto servabantur. Temporibus antiquissimis, focus in atrio situs est, unde fumus.

²⁰⁴ **Obstetricis filius:** Plato, in colloquio quod inscribitur “Theaetetus,” scripsit haec verba: Σωκράτης | εἶτα, ὦ καταγέλαστε, οὐκ ἀκήκοας ὡς ἐγὼ εἰμι υἱὸς μαίας μάλα γενναίας τε καὶ βλοσυρᾶς, Φαιναρέτης; (Plat. Theaet. 149a). Nonne audivisti, stulte, me esse obstetricis strenuae et nobilis filium, nomine Phaenarete?

²⁰⁵ **Alcibiades:** Alcibiades, vir Atheniensis, natus est de stirpe Alcmaeonia. Socrates eum docuit. (Plut. Alc. 1). Vixit ab anno 450^o usque ad annum 404^{um} a.C.n.

²⁰⁶ **Euripidis matrem...tolerasse accepimus.** Fama est ut mater Euripidis holera vendiderit. Aristophanes, inter comicos, hanc fabulam Graecis tradebat. (Aristoph. Thes. 443).

Tympanistria fuit Aeschinis²⁰⁷ mater, etiam, si Demostheni²⁰⁸ credimus,²⁰⁹ vulgati corporis. At eum rex Macedonum Philippus quantopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracusarum regem Hieronem fuit? Sed quid huius rei
275 plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: ut minus saepe, quibus illi regnantibus vixerint, quam qui eis florentibus regnaverint, quaerere

Linearum 277-296 epitome: Multa alia beneficia e litterarum cultu proveniunt: quarum ope homines contra vitia pugnare, animum regere, rectam viam agnoscere, multa alia utilia discunt. Quae efficiunt tandem ut 'soluti et libero animo' simus. Si tot bona, tot utilia e cultu litterarum fluunt, adolescentes (h.e. Mureti auditores), nulla mora interposita, in hanc viam solam toto pectore incumbere debent.

soleamus. Neque tamen haec praecipua sunt eorum bonorum, quae percipiuntur ex litteris: sunt alia longe maiora longeque diviniore. Litterae inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant; luxuriantes quasque fruticantes²¹⁰ cupiditates stringunt ac
280 coercent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces et magistrae sunt ad

²⁰⁷ **Aeschinis:** Aeschines fuit orator Graecus qui Athenis orationes dedit. Vixit saeculo quarto a.C.n. Casu genetivo est *Aeschinis*.

²⁰⁸ **Demostheni:** Demosthenes fuit orator Graecus, qui, ut Aeschines, Athenis orationes dedit. Dedit orationes in Aeschinem, inter alias. Floruit Demosthenes ab anno 384^o usque ad annum 322^{um} a.C.n.

²⁰⁹ **si Demostheni credimus:** Muretus non videtur accepisse omnes calumnias quas Demosthenes in Aeschinem dixerat, nam Demosthenes et Aeschines inimici erant. Est pars eloquentiae aperte dicere argumentum contrarium ne audientes illo argumento respondeant. Muretus ipse argumentum contra exemplum, quod ipse dicebat, dedit, ne quis hoc argumentum proferat. Sic Muretus vim ex argumento detrahebat.

²¹⁰ **fruticantes:** fruticor fruticari est *mittere stirpes*. Herbae verno tempore sic faciunt.

virtutem; prosperis rebus ornamento sunt, solatio adversis; neque illis exsultare atque
efferi suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi
efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt.²¹¹ Crates²¹² quidem Thebanus
interrogatus, quid sibi superesset ex philosophiae studio, notissimo versu respondisse
285 dicitur:

*Choenix lupinum et mentis a curis quies.*²¹³

O magnum et excelso animo praeditum virum. Quod aliis regna et imperia non adferunt,
ut soluto ac libero animo sint, id ipsi, propter litterarum et philosophiae commercium,
choenix²¹⁴ lupinorum adferebat. Quod si tam multa tamque praeclara bona litteris ac
290 disciplinis continentur; si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum
cognitionem et hominibus et liberis atque ingenuis hominibus dignissimam esse; si et
ignava vita homine indigna est et nullo in studio melius quam in litteris industria collocari
potest; si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optime litteris sternitur; si

²¹¹ **litterae...dixerunt:** Muretus certe Ciceronem hic memorat. Cfr. Pro Archiam Poetam 7.16.2 “...studia adulescentiam acuunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.” Prosperis rebus ornamento sunt convenit cum *secundas res ornant*; solatio adversis cum *adversis perfugium ac solacium praebent*. Potesne invenire alias partes quae inter se conveniunt? (Cogites de nexibus inter verba. Ut antea, tantum cogitandi causa rogamus.)

²¹² **Crates:** Philosophus Graecus Cynicus qui floruit ab anno 365^o a.C.n usque ad annum 285^{um}. Cynici erant philosophi mordaciores qui, ut canes latrantes, semper homines monebant ut vitam bonam agerent.

²¹³ **Crates quidem...a curis quies.** Fons sententiae invenitur apud Diogenem Laertium. καὶ ὅτι ἐκ φιλοσοφίας αὐτῶ περιγένοιτο | θέρμων τε χοῖνιξ καὶ τὸ μηδενὸς μέλειν. (Diog. Laert. 6.5.86).

²¹⁴ **Choenix** – mensura quam in Attica adhibebant ad granum metiendum; choenix lupinorum – res simplex atque vilissima.

eisdem et animi tranquillitas et nominis aeternitas comparatur: quid statis, adolescentes,
295 aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare
patimini?

Linearum 297-322: Via autem est difficilis. Laborandum erit. Timet Muretus ne multi mollitia quadam et laboris odio a studiis deterreantur. Hortatur igitur Muretus (verba Homeri proferens) ut diligenter incumbant.

cur non, aliis omnibus curis et cogitationibus ex animo abiectis atque abdicatis,
in hanc unam toto pectore incumbitis? Non hoc sedendi, ut ait Bacchylides,²¹⁵ ac
cunctandi tempus est.²¹⁶ Non enim ex plano ac facili gloria haec petitur: neque lata, ut ait

²¹⁵ **Bacchylides:** fuit poeta Graecus qui saeculo quinto a.C.n. floruit. Natus est anno 520^o et anno 450^o obiit. (Hornblower et Spawforth “Bacchylides” p.230.) Cecinit carmina lyrica.

²¹⁶ Bacchylides, Hyporchemata (fragmenta). {0199.018} versu quarto. *Thesaurus Linguae Graecae*. 2016.

ΥΠΟΡΧΗΜΑΤΑ

- 1 Λυδία μὲν γὰρ λίθος μανύει χρυσόν,
ἀνδρῶν δ' ἀρετὰν σοφία τε
παγκρατῆς τ' ἐλέγχει ἀλάθεια ...
Οὐχ ἔδρας ἔργον οὐδ' ἀμβολᾶς,
5 ἀλλὰ χρυσαίγιδος Ἰτωνίας
χρῆ παρ' εὐδαίδαλον ναὸν
ἐλθόντας ἀβρόν τι δεῖξαι Ἀλαλκομενία...
ᾧ περικλειτέ, δῆλ' ἀγνοήσειν μὲν οὐ σ' ἔλλομαι.

Sic Latine: Saxum enim Lydium aurum nuntiat, sic sententia praepotens et veritas virtutem hominum arguunt. *Non hoc sedendi ac cunctandi tempus est*, sed ire ad templum aegidis aureae pulchrum ubi persona Minervae molliter agenda est. O praenobilis Dea, non est causa cur non praeclara sis.

Apud Campbell, 1992. Οὐχ ἔδρας ἔργον οὐδ' ἀμβολᾶς: (p. 267, n. 4). Est locus communis: Aelian, Hist. Anim. 6.1; Lucian, Scyth. 11; Achilles Tatius 5.12

300 Propertius,²¹⁷ via currere ad Musas datur. Non frustra eas antiqui in arduo atque edito
monte habitare dixerunt. Laborem et sudorem et vigiliis in earum atrio ac vestibulo
excubare voluit Deus: qui, ut dicebat Epicharmus,²¹⁸ labore omnia prope bona hominibus
venalia proposuit. Ego autem, ut libere vobiscum agam, valde vereor, ne, cum plerisque
vestrum alia omnia abunde sint, mollitia multi et laboris odio a studiis avocentur. Itaque
305 quibus verbis Homericam Pallas Nausicaam²¹⁹ e somno excitat, quam segnem²²⁰ et ignavam
vocat, quod vestes magni pretii, sibi emptas a parentibus, neglectui habeat, easque illotas
ac sordidas iacere patiatur; surgere igitur eam iubet, et ad eas abluendas cum prima luce
proficisci, praesertim cum instet tempus nuptiarum: iisdem merito multos e vobis aliquis
quotidie obiurgaverit. Surge quamprimum miser, et ex animo torporem atque ignaviam
310 excute. Quid tu istud ingenium, quod tibi a communi omnium parente Deo multo qualibet
veste pretiosius datum est, situ ac sordibus obsolescere quasque rubigine obduci pateris?
cur non potius diluculo ad illos proficisceris omnibus obvios et expositos doctrinarum

²¹⁷ **Propertius:** Sextus Aurelius Propertius poeta Romanus, qui natus est anno 50^o a.C.n. Amicus erat Vergilii. Maecenas fuit Propertii patronus. Fere anno 15^o a.C.n. obiit.

²¹⁸ **Epicharmus:** philosophus Graecus, qui Syracusis, saeculo sexto a.C.n. habitabat. Syracusae sunt urbs in Sicilia. Epicharmus philosophiam Pythoragaeam docuit.

²¹⁹ **Nausicaa:** filia regis qui in Phaeacia regnavit. (Cfr. annotationem nostram 263.) In Homeri Odyssea, Nausicaa Ulixem adiuwabatur cum ille ad litus Phaeaciae advenit. Athena, dea Graeca cui nomen Romanum est Minerva, Nausicaam ex somno excitavit ut Ulixem adiuveret, nam Athena Ulixem fovebat. Homerus fabellam Minervae Nausicaaeque in libro Odysseae sexto narravit. (Hom. Od. VI.25-40). Cfr. annotationem de Phaeacibus nostram 263. F: Cf. Ho. Od. VI. 25.

²²⁰ **segnem:** segnis significat fere idem ac *piger*.

fontes, quibus te mersans, ex quibus arbitrato tuo hauriens, pectus et purgatum vitiorum
maculis et multa praeclarissimarum rerum cognitione madidum referas? praesertim cum
315 puerulus amplius non sis, sed ea iam appropinquet aetas, qua tibi in lucem atque in
conspectum hominum prodeundum est. Hinc enim demum, multo magis quam unde illa
dicit, et tibi paries gloriam et parentum pectus gaudio laetitiaque complebis. Sed iam
longior, quam par erat, fui. Cogitate, obsecro vos, languidis ac remissis²²¹ omnia
difficilia, navis et industriis omnia pervia ac facilia esse. Deus optimus maximus,²²² cui
320 quaecunque hic acta dictaque sunt, grata et accepta esse cupio, vobis omnibus eum
animum inspiret, ut haec, ad quae vos hortatus sum, tam sequi velitis quam consequi
potestis. DIXI.

315: T: te **5:** de

²²¹ **languidis ac remissis:** *Hominibus* subauditur.

²²² **Deus optimus maximus:** optimus maximus est epitheton, nomen adiectivum, quo Iuppiter appellatus est. Est Romae templum Iovi optimo maximo dedicatum.

Bibliographia

Bacchylides, and Corinna. *Greek Lyric: Volume IV, Bacchylides, Corinna, and Others*.

Trans. David A. Campbell. Cantabrigiae, Massachusettae; Lugduni; W.

Heinemann: Harvard University Press, 1992.

Bacchylides. *Odes*. Trans. Diane Arnson Svarlien. Perseus Project. Yale. 1991.

Benci, Francesco, and Paolo Meietti. *Oratio in funere M. Antonii Mureti: ad*

illustrissimos cardinales Nicolaum de Pelue Senonensem, & Carolum à

Lotharingia de Vaudemon. Patauii: Apud Paulum Meietum, 1585.

Dejob, Charles. Marc-Antoine Muret: un professeur français en Italie dans la seconde

moitié du XVIIe siècle. Lutetiae Parisiorum: E. Thorrin, 1881.

Girot, Jean-Eudes. *Marc-Antoine Muret: des Isles Fortunées au rivage romain*. Genavae:

Droz. 2012.

Dobson, John Frederic. *Ancient Education and Its Meaning to Us: Our Debt to Greece*

and Rome. Whitefish: Literary Licensing, LLC. 2012.

Downey, Glanville. "Ancient Education." *The Classical Journal* 52, no. 8 (May 1, 1957):

Chicagiae: 1957 pg. 337–45.

Gildersleeve, B.L., Lodge. *Gildersleeve's Latin Grammar*, Wauconda, IL. (reprint of 3rd

edition 1895). Bolchazy-Carducci. 2003.

Hornblower, S., & Spawforth, A. (Eds). *The Oxford Classical Dictionary* (3rd ed).

Oxonii: Oxford University Press. 2005.

- Krause, Miller Stanley. "Prose Rhythm in the Orations and Epistles of Marcus Antonius Muretus". University of Kentucky Master's Theses. Paper 599. Lexington: 2009. http://uknowledge.uky.edu/gradschool_theses/599, 2009.
- Kraye, Jill, and Risto Saarinen. *Moral Philosophy on the Threshold of Modernity*. Novi Eboraci: Springer Science & Business Media. 2006.
- Kristeller, Paul Oskar. *Renaissance Thought and Its Sources*. Novi Eboraci: Columbia University Press. 1979.
- . *Renaissance Thought: The Classic, Scholastic, and Humanistic Strains*. A revised and enlarged edition of "The classics and Renaissance thought". Harper Torchbooks, TB1048. The Academy Library. Novi Eboraci: Harper, 1961.
- . *Studies in Renaissance Thought and Letters*. Storia E Letteratura (Edizioni Di Storia E Letteratura); v. 54, Etc. Romae, Edizioni di storia e letteratura. 1956.
- . *The Classics and Renaissance Thought*. Martin Classical Lectures, v. 15. Cantabrigia: Published for Oberlin College by Harvard University Press. 1955.
- Marrou, Henri Irénée, and G. R. Lamb. [*Histoire de L'éducation Dans L'antiquité.*] *A History of Education in Antiquity, Translated by George Lamb. [With a Map.]*. Londinii & Novi Eboraci: Sheed & Ward. 1956.
- Minkova, Milena. *Introduction to Latin Prose Composition*. Mundelein: Bolchazy-Carducci Publishers, Inc., 2012.
- . "Orthography of Neo-Latin." *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World. Renaissance Society of America Texts and Studies Series*; v. 3. Ford, Philip, editor. Bloemendal, Jan, editor. Fantazzi, Charles, editor. Lugduni Batavorum: Brill. 2014.

- Mountford, J.F., ed. *Bradley's Arnold Latin Prose Composition*, Wauconda, IL. Bolchazi-Carducci. 2006. (Revised 1938 edition.)
- Muret, Marc-Antoine. *M. Antonii Mureti Opera*. Veronae: Apud Io. Albertum Tumermanum. 1727.
- Muret, Marc-Antoine. *M. Antonii Mureti Orationes tres de studiis literarum, Venetiis habitae*. Venetiis: apud Paolum Manuzium Aldi Filium. 1555.
- Muret, Marc-Antoine, and Frotscher. *M. Antonii Mureti Opera omnia, ex mss. aucta et emendata cum brevi adnotatione Davidis Ruhnkenii, edidit Carolus Henricus Frotscher*. Lipsiae. 1834.
- Muret, Marc-Antoine, Karl Heinrich Frotscher, David Ruhnkenius, Jacob Thomasius, Giovanni Raimondo Checcozi, and Pietro Lazeri. *M. Antonii Mureti Opera omnia*. Lipsiae. Serigiana libraria. 1834.
- Muret, Marc-Antoine, and Kirk M. Summers. *The Iuvenilia of Marc-Antoine Muret*. Columbus: Ohio State University Press. 2006.
- Muret, Marc Antoine, and Jacob Thomasius. *Marci Antonii Mureti. Orationes et epistolae necnon praefationes quae exstant in Jacobi Thomasii editionibus in usum scholarum selectae; tomus I*. Venetiis: apud Franciscum ex Nicolao Pezzana. 1777.
- Nutting, Herbert C. "Methods of Teaching Latin." *The Classical Journal* 11, no. 1 (October 1, 1915): 7–24. Chicagiae: 1915.

- Owen, William, and William Johnston. *A New and General Biographical Dictionary: Containing an Historical and Critical Account of the Lives and Writings of the Most Eminent Persons in Every Nation; Particulary the British and Irish; from the Earliest Accounts of Time to the Present Period*. v. 9. Wokingham: Osborne, 1784.
- Rowell, Henry T. "Marc-Antoine Muret: A Sixteenth-Century Classicist and His Work." *The Classical Weekly* 35, no. 23 (1942): 268–72. doi:10.2307/4341498. Novi Eboraci: Classical Association of the Atlantic States. 1942.
- Sidwell, Keith. *Reading Medieval Latin*. Cantabrigiae: Cambridge University Press. 1999.
- "Sirlèto, Guglielmo nell'Enciclopedia Treccani." 2016. Accessed May 1.
<http://www.treccani.it/enciclopedia/guglielmo-sirleto>.
- "Alciati, Francesco nell'Enciclopedia Treccani." 2016. Accessed May 1.
<http://www.treccani.it/enciclopedia/francesco-alciati>.
- Tunberg, Terence. "Neo-Latin Prose Style (From Petrarch to C. 1650)". *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World. Renaissance Society of America Texts and Studies Series* ; v. 3. Ford, Philip, editor. Bloemendal, Jan, editor. Fantazzi, Charles, editor. Lugduni Batavorum: Brill, 2014.
- Tunberg, Terentius. "De Marco Antonio Mureto Oratore et Gallo et Romano." *Humanistica Lovaniensia: Journal of Neo-Latin Studies* 50 (2001): 303–27.

———. “De Iacobo Pontano Iesuita Deque Ciceronis Imitandi Studio.” *Mantinea*. Vol I.
pp. 101-120. 2015.

———. *De Rationibus Quibus Homines Docti Artem Latine Colloquendi et Ex Tempore
Dicendi Saeculis XVI et XVII Coluerunt*. Lovania. Leuven University Press. 2012.

Vita

Laura Manning nata est in Nova Caesarea. Ornata Bacculaurea duplici Linguae Latinae et Studiorum Classicorum in universitate studiorum Montis Clari (vulgo Montclair), quae sita est in civitate Nova Caesarea, Magistra Manning linguam Latinam in lyceo gymnasioque nomine Pequannock Township Public Schools docebat, ubi, honoris causa, titulo “Teacher of the Year” anno 2013 est laureata. Diplomate ornata, linguam Latinam in scholis publicis civitatis Novae Caesareae et Virginiae docere potest. Diploma Instituti Studiis Latinis Provehendis Universitate Kentuckiensi anno 2016 accepit. In lucem dedit existimationes nonnullorum librorum in periodico nomine “Classical Outlook Journal.” Quoque in lucem dedit, in periodico “Synergy Newsletter,” commentarium “Twelve Weeks,” in quo artem eruditionis tractabat.

Laura Manning graduated from Montclair State University in 2004 with concurrent BA degrees in Latin and in Classics. From 2004 to 2014, she taught high school and middle school Latin in the Pequannock Township Public School district. Laura was the Pequannock Township High School teacher of the year for 2013. Laura holds teaching licenses in the states of NJ and VA for grades P-12 Latin, and has taught Latin courses online at the Virtual High School. In May, 2016, Laura was awarded the Graduate Certificate in Latin Studies at the University of Kentucky, and in August, 2016, plans to graduate with the degree of M.A. in Classics. Laura has published several book review articles for the *Classical Outlook Journal*. Her article “Twelve Weeks” about the student teaching experience was published in June, 2004, in the *Synergy Newsletter* at Montclair State University.